



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

KC

14783

NEDL TRANSFER



HN 3BTM J

P. V. Bergstrand. 18 $\frac{9}{5}$ 27

Acetou, Episkopus, Lundensis, mortuus esse
anno 1758.

D

KC14783

3200

AA.
17 $\frac{9}{17}$ 96

SENTENTIÆ PHI-
LOSOPHICÆ
FUNDAMEN-
TALES,

QUAS

OLIM IN USUM AUDITORII
PHILOSOPHICI IN CHARTAM
CONJECIT,

NUNC AUTEM, UT MULTORUM
DESIDERIIS SATIS FIAT,

PAULO ACCURATIUS REVISAS, E-
MENDATAS ET AUCTAS TYPOGRA-
PHIÆ PUBLICÆ COMMITTIT

AUCTOR

ANDREAS RYDELIUS

In Acad. Gotborum Carolina S. Tb. D.

& Prof. Prim.

nat. 1671, Episcopus Lundensis 1734, denat. 1738.

UPSALIÆ,

TTPIS ET SUMTIBUS HÖJERIANIS AN. 1736;

KC14783



VIRO

Generoso & Nobilissimo

Simul ac Eruditissimo,

DN. OLAO ESTEN-

B E R G,

Archivi Regii Secre-
tario,

Fidelissimo Sollertissimoque

Veteri amico & perpetuo fautori

Sal. Plur.

Dicit Auctor.

Hoc opusculum philosophicum, quod
jam dudum summo jure TUUM fuit,
VIR NOBILISSIME, nunc inepte ni-
mis dono TIBI darem, nisi habitum plane
novum induisset, non tantum Typorum or-
namen

namento, verum etiam nonnullis rerum supplementis & cogitationum mearum, emendationibus adactum. Quemadmodum igitur de illo, cum esset adhuc tenerum & negligentem formatum, honorifice sensisti; ita sperare licebit, nunc tibi magis placitum esse, potius quam paulo adultius est factum magisque elaboratum. Ego quidem, qua sum pusillanimitate, & naturali verecundia, cum essem adhuc philosophus, nunquam ipse potui meis conatibus multum favere: Sed erectus sum multoties ad sperandum de illis aliquid, benignis eorum judiciis, qui solidam & fructuosam amant philosophiam, & de rebus ad hoc genus pertinentibus, solide candideque judicare possunt. Quorum numerum indies quidem video minui, plerisque hoc eleganti seculo non tam sapientiam, quam sapientiae speciem amantibus: at quam longe tu, Vir NOBILISSIME, ab horum absis levitate, mihi eo minus ignotum esse potest, quod mihi per tot annos licuerit TUA jucundissima & honorificentissima frui familiaritate. Sæpe miratus sum, Te hominem πολιτικώτατον, & negotiis ad remp. pertinentibus quotidie occupatissimum, ita in studiis nostris & omni eruditione totum esse, ac si unus esses nostratium, nempe virorum Academicorum, nihilque aliud haberes agendum. Nec mea qualiacunque sprevisi, sed ita legisti omnia, ut

Sup- ut nunc quidem TIBI quam mihi familiarior
nda- ra esse opiner. Quod cum ita sit, omnium
r de- minime miraberis, hoc scriptum, quod TU-
nter- UM, vt dixi, per annos aliquot fuit, nunc
re li- TIBI, non nihil limatum exornatumq; reddi-
of- Utere illo, VIR NOBILISSIME, prout libet,
e e- TUOque exemplo plures illi fautores concil-
ani- lia. Vale & diu bene beateque vive.



Diu

Diu pependit Juventus nostra Academica
 ex ore summi nostri Philosophi Doctoris
ANDREÆ RYDELII, qui per annos bene
 multos ita a vidorum satisfacit desideriis, ut
 ipse maluerit viribus exhauriri, quam præ-
 ceptis fidelissimis suos defraudare auditores.
 Bene autem est ætatem Viri Max. Reverendi
 non dum plane consumptam, rebus altio-
 ris fori paulo tempestivius relictam esse.
 Quam autem arctum sit commercium inter
 sacra Theologiæ dogmata, ipsasque *senten-
 tias* in Philosophicis *Fundamentales*, vel ex
 hisce constare potest lucubrationibus erudi-
 tissimis, quas Philosophus olim discipulis
 viva voce inculcans, jam typis editas cum
 philosophiæ pariter ac Divinæ scientiæ ama-
 toribus, imo cum toto orbe erudito, haut est
 gravatus communicare. Vos, Juvenes, huc
 allicit non minus *Auctoris* gravissimi celebri-
 tas, quam in hoc opusculo ubique lucens
 eruditio: allicit autem, quanquam non ad
 voluptuosos Alcinoi hortos, verbis tamen
 Minervæ, caro suo Ulyssi prospicientis,

ἀλλ' ἴθι σιγῇ πῶν ἐγὼ δ' ἰδὲν ἡγεμονίῃσιν.

HENRIC BENZELIUS

Fac. Philos. b. a. Decanus.

Præ-



Præfatio.

Vulgatissimus & pene proverbialis est sermo, eos qui de rebus maximis male sentiunt, malis imbutos esse principiiis, presentim si vitiosam simul agant vitam, eamque insanis ratiociniis diu & pertinaciter tueantur. Principia scilicet vocamus sententias quasdam fundamentales, quæ, si male sint, omnia fere hominis, eas foventis, ratiocinia corrumpunt, ipsosque mores labefaciunt: contra si bone sint. In utramque enim partem eo fecundiores sunt ejusmodi sententia, quod pertineant ad res maximas maximique momenti, quales imprimis sunt DEUS, mundus, homo ejusque anima. Si in his erretur, multo latius error divagatur, quam si in ceteris, multoque certius talibus sententiis, quam aliis, animus & vita inquinatur. Enim vero quemadmodum in Theologia non omnis error est fundamentalis, ita & in Philosophia multe hallucinationes sunt innoxie. Et quemadmo-

dum ibi doctrinae fundamentales certis circum-
 scribi solent symbolis, per quae Orthodoxi se-
 cernantur ab haereticis; ita hic utile est do-
 ctrinas principes, reliquam & Philosophiam
 & vitam fundaturas, colligi, exponi & vindi-
 cari, ut per has Philosophi sobrii distinguan-
 tur ab ebriis, animique juveniles adversus pe-
 silentes doctrinas, quae non rationem modo sed
 & fidem Christianam evertere possint, munian-
 tur. Tandem ut crescentibus haeresibus, non
 possunt non Symbola crescere; ita non miran-
 dum est, nos hoc tempore, quo cum pluribus
 & majoribus deliriis, ad omnis verae sapien-
 tia & religionis ruinam pertinentibus, consti-
 tuti cogimur, argumentum hoc & copiosius
 & accuratius majorique cura, quam olim fa-
 ctum est, debere tractare. Quod quamvis ali-
 quando sperem, me in parte aliqua Exercita-
 tionum Rationalium majori industria prestitu-
 rum esse, cum tamen hujus tam necessaria do-
 ctrinae elaborationem propter alias occupatio-
 nes diutius, quam vellem, differri videam,
 fortassis e re Juventutis erit, quandam ejus
 Latinam adumbrationem, in hoc Collegio, quod
 Fundamentale vocare liceat, quam brevissimam
 exhibere. Semper existimavi debere in Philo-
 sophia distingui necessaria scitu a curiosis, &
 certa ab incertis, apodictica a probabilibus,
 ne

ne uerba communi incensorum nomine omnia Philo-
sophemata involuantur, non sine maximo sapien-
tia detrimento. Spero, in hoc scripto nullam con-
spici sententiam fundamentalem, quae hoc nomen
non mereatur, nullam, nisi qua omnibus saepe-
re volentibus penitus persuasa esse debeat. Cu-
jus ne argumentum & quasi criterium hoc
esto, quod nullus hic eo nomine ornata sit, cujus
contraria non sit humanis rebus, ipsique reli-
gioni damnosa, vel manifeste periculosa. Fac-
teor has rerum Divinarum demonstrationes es-
se natura sua sicciores, & Scholae affiniores,
quam ut gustum seculi hujus queant titillare.
Rerum tamen austeritatem stili qualicumque
suavitatem & terminorum horribilium extermi-
natione ita conatus sum temperare, ut speran-
dum sit, posse paucas has pagellas vet a lau-
tissima sine nimio legi fastidio. Quod si ad no-
supratem rebus seriis conciliandam non dum
sufficit, ostendam adhuc dulciorem his de rebus
Philosophandi modum, quem nuper orbi erudi-
to detexit Batavus non minus pius, quam ex-
cellenter eruditus. Est is Bernhardus Nieuwen-
tyt, Medicina Doctor, & simul Mathemati-
cus ac Philosophus unus e primis. Qui cum
experimentorum physicorum, anatomicorum,
Chymicorum & mathematicorum magnam habe-
ret copiam, eorum selectissimis ad hoc usus est,

ut per ea Naturalistas & Atheos stultitia sua convinceret, & homines alias somnolentos ad videndum DEI in natura digitum excitaret. Præstitit hoc sane quam feliciter in immortalis opere, cujus hic integer est titulus:

Agnitio Sapientia, Potentia & Bonitatis DEI Optimi maximi. ex recto usu contemplationis rerum naturalium in hoc mundo.

Prodiit primum lingua Batava, deinde Gallica, tum Britannica, & tandem anno superiore Germanica. Qui DEUM in natura speculo ipsis velut oculis videre vult, hunc librum evolvere non gravetur. Batavo Britannum, Britanno Helvetium, cui libet adjungas. Ad eundem enim hunc religiosum finem eniti voluerunt, Wilhelms Derham in sua Physico- & Astro-Theologia, nec non Optimus Scheuchzerus in sua physica. Qui præclari Triumviri eam ob causam mihi sunt imprimis amabiles, quod velut novi Socrates Christianos homines ab otiosis & profanis de natura disputationibus ad contemplandum, venerandum & amandum naturæ Dominum per naturæ viam reducant, idque non minore successu, quam ardore animi. *Valete.*

CAP.



CAP. I:mum De DEO.

SECTIO I:ma

DE

EXISTENTIA DEI.

Dixi, omnium objectorum, de quibus philosophari possumus, tria esse maximi momenti, *DEUM, Mundum & Hominem.* Ex quo consequitur, circa hæc potissimum sententias nostras fundamentales versari. A DEO autem rerum omnium primo fonte merito incipimus.

§. I.

Prima ergo sententia fundamentalis adversus Atheos hæc ponenda: *DEUM* existere: vel dari *Eus* omni modo excellentissimum: hoc est possidens omnes perfectiones possibles & se dignas.

Verba hæc probat & largitur Atheus, sensum vero negat. Non negat existere ens, in quo, tanquam principio supremo, seu causa prima, fundantur omnia reliqua; sed perfe-

A 4

ctio:

ctiones ejus miserrime interpretatur. Ad
 quæstionem, an sit DEUS, respondet affir-
 mando, ad quæstionem quid sit, & an à mun-
 do diversus & independens, an vivus, sum-
 me sapiens, liber, potens, bonus, justus, &
 natura & opere, respondet negando: saltem
 Atheus in supremo impietatis gradu consi-
 stens. Vel enim DEUS nihil illi est aliud
 quam mundus, vel vis tantum quædam æter-
 næ naturæ, sine vita, sensu & cogitatione,
 adeoque sine libertate. Spihosa quidem infini-
 tam cogitationem dari statuit, sed intelligit
 regem duntaxat innumerabilium in mundo
 cogitantium.

§. II.

JAm vero absurdus nihil cogitari potest,
 quàm dari ens excellentissimum, quod ta-
 men vita careat, & entia cogitantia oriri per-
 petuo ex causa non cogitante. Qui enim ens
 cogitatione carens, cogitationem generare & in
 alio producere potest? quidquid enim finitum
 est (qualia sunt omnia in tempore nata) id a
 causa aliqua priori oriri necesse est: eaque
 ipsa perfectionem, quam non habet, dare
 non potest.

§. III.

Ad mundum quod attinet, non potest ille
 esse ens omni modo excellentissimus.

Quod

Quesit:

Quid est mundus? Mundus
est materia contingens, quia nul-
lam involvit contradictionem.

Quod licet inferius solícite demonstrandum mihi sit, hic tamen non nihil ex demonstratione illa licebit prælibare. Mundus, inquam, sive materiam, sive formam spectes, est contingens; hoc est, potest esse, potest non esse: DEUS autem est ens necessarium, quia non potest non esse, alioquin parum excellens: Esset enim aliunde ortus. Unde autem ortus, cum nihil aliud esset? Materia mundi est contingens, quia nullam involvit contradictionem, adeoque possibile est, unã particulã e mundo abesse, remanentibus, reliquis omnibus, ab illa independentibus. Quod autem de unã verum est, propter parem rationem, verum est de reliquis omnibus & singulis, adeoque de toto: Formam esse contingentem, sat manifestum esse puto; tamẽn id infra suo loco de industria demonstrabitur. Nunc id superest demonstrandum, quod in thesi nostra prima proposuimus: nempe dari Ens summe Excellens, & ita quidem Excellens, ut nullã in eo summa Excellentia desideretur. Quod eo modo mihi demonstrandum est, ut ex eo idea infinitæ magnitudinis & excellentiæ, quæ in Divina est natura, se statim legentium animis ingerat.

§. IV.

Quicquid nunc est, id ab æterno fuit Possibile.

bile. Fuit autem possibile per naturam aliquam, quæ rationem ejus sufficientem in se contineret: Nec vero quidquam potuit per aliam naturam, quam æternam, ab æterno esse possibile. Ergo æterna illa natura in se rationem sufficientem omnium possibilium continuit. Jam possibilis etiam fuit intellectus una cum libera voluntate. At intellectus non potuit esse possibilis, nisi per naturam intelligentem, nec libera voluntas, nisi per libere volentem; Neq; enim id, quod minus est excellens, potest in se rationem sufficientem longe excellentioris continere. Itaque fatendum est, non tantum dari intellectum æternum, sed & hunc in se omnium possibilium & omnis possibilitatis rationem sufficientem continere. Quod vel solum adeo magnum est ac admirabile, ut ad demonstrandam Entis Excellentissimi existentiam nihil amplius videatur requiri. Facile enim ex hoc uno fonte omnia summa DEI attributa derivantur. Quid enim? Nonne is intellectus, qui in se omnium possibilium rationem sufficientem continet, nonne is omnia possibilis, quatenus per se ipsum possibilis, novit? cumque infinita sint possibilis, nonne hunc intellectum oportet infinitum & infinite sapientem esse? Cum vero, quod possibile est,

non

non, nisi per voluntatem liberam, determinari ad actum possit, necesse est idem Ens æternum voluntatem habere potentissimã: quemadmodũ enim intellectus eius omnis possibilitatis rationem sufficientem in se continet; ita necesse est voluntatem ejus continere in se rationem sufficientem omnis actus, quo scilicet id producitur, quod possibile fuerat. Ex quo etiam sequitur, voluntatem Divinam ad quodlibet præstandum ita per se ipsam sufficere, ut mediis non indigeat ullis, quotiescunque vult sine mediis agere. Porro interabilia etiam numerandæ sunt omnes virtutes morales, possibiles, inquam, per Ens æternum. Hæ autem quando possibiles sunt cum defectu, ut nunc, non dubium est, quin etiam possibiles sint sine defectu. Ergo necesse est in æterno Ente omnes virtutes esse, easque non tantum sine defectu, sed etiam cum effectu longe excellentissimo. Alias enim non posset omnis virtutis, earumque perfectionis, rationem sufficientem in se continere. Nemo enim dat plus quam habet. Quis ergo dubitet æterni Entis justitiam & bonitatem esse excellentissimam. Possent hæc omnia latius diduci: sed modus est tenendus.

§. V.

§. V.

Jam cum Ens æternum & excellentissimum
 id sit, quod DEUM appellamus, videretur
 supervacua unitatem DEI, his positis, demon-
 strare, nisi partim gentilium miseria, partim
 Manichæorum veterum & recentiorum stoli-
 da confidentia, me cogeret huic etiam quæsti-
 oni nonnullam dare operam. Faciam id quam
 paucissimis. Si darentur duo Dii inter se qui-
 dem diverſi, unius tamen generalis naturæ,
 nempe uterq; æternus; species omnino essent
 unius generis communis, & sic ratio esset da-
 bilis a priori, cur nec plures essent, nec pau-
 ciores: cujus tamen rei ratio non in ipsis, sed
 in natura aliqua superiori & communi esset
 sita. Ex quo sequeretur, eos causam habe-
 re communem, atque ideo, non æternos esse,
 non DEOS. Haberent perfectiones limitatas
 & certa periodo circumscriptas. Itaq; dare-
 tur causa limitans: daretur ratio, cur tantum
 perfectionis uni, tantum alteri competeret.
 Quæ omnia pugnant cum idea Entis æterni,
 & multo magis cum idea Entis excellentissi-
 mi. Si unus daretur bonus, alter malus DE-
 US, unus boni, alter mali causa, naturæ pro-
 fus contrariæ & pugnantis, ut Manichæis de-
 lirare placuit; divisum inter se haberent im-
 perium, ita ut unam spatii infiniti partem u-
 nus

aus, alter alteram possideret. Qualem universi
 divisionem in duas inimicas plagas me in
 Edda Islandorum narratam legisse memini.
 Quod quamvis pudendum, tamen ex pulcra
 illa Theologia belle sequitur. Alias enim in
 his duobus numinibus statuenda esset mutua
 inuicatio, & quasi penetratio dimensionum,
 tanto absurdior, quod supponantur con-
 trarias habere naturas.

§. VI.

Paulo majoris est momenti, quod per infau-
 stam hanc doctrinam deberet malum mo-
 rale jam inde ab æterno existisse: Nam inui-
 dia & malevolentia, crudelitas & iniustitia,
 quæ mali illius DEI esset, ubicunque reperi-
 tur, est malum morale; pugnat enim cum æ-
 ternis honesti justique regulis. Quid autem
 absurdius cogitari potest, quam tale ens esse
 æternum? Esse enim æternum & necessarium,
 sibi que ipsi ad existentiam, essentiam & omnes
 operationes sufficere, haud dubie excellentis-
 sima est perfectio: malum autem morale
 summa & miserrima omnium imperfectio-
 num. Idem ergo Ens erit perfectissimum &
 imperfectissimum, beatissimum & miserrim-
 um. Non dubito, quin hoc somnium ex eo
 primum inter gentiles natum sit, quod ma-
 ligni Dæmonis famam audiverint, adeoque
 male

male intellexerint, ut eum crediderint esse DEUM. Voluerunt quidem Manichæi, eundem hunc errorem defendentes, esse Christiani: Sed nihilominus duplici veri specie poterant tam misere illudi 1. quia rumor ille de duplici & contraria divinitate inter gentiles latissime vagaretur, atque ideo videri posset, ex antiquissimorum hominum, primorumque adeo parentum traditione ortus; 2. quia illis non videretur credibile, DEUM passurum esse, ut Diabolus, si creatura esset, sibi perpetuo obstreperet, & consiliorum suorum ordinem tam impudenti ausu turbare conaretur. Imò poterant credere, nullam creaturam hoc ausuram facere. Quæ volentibus in Theologia extra & supra Scripturam sapere facile in mentem venerunt.

§. VII.

De cetero, si solum excipias peccatum, ex creaturis ortum, fructusque ejus, tota rerum universitas clamat, unum esse DEUM. Adeo miro consensu omnia ad unum tendunt! Nec id tantum in mundo adspectabili, verum etiam in eo, qui Platonica lingua Intellectualis diceretur. Non diversa sunt, in diversis, rationis principia, sed eadem. Omnibus finitis mentibus, ubicunque reperiuntur, eadem

eadem veritas imperat, eadem veritatis regula incumbunt. Omnes ab uno pendent, quasi aeterno oraculo. Nec voluntas creaturarum, etsi libera, vel regulis caret, vel diversis regitur, sed iisdem. Non tantum finis ultimus est unus, sed & omnes inferiores, per totam seriem, illi uni a deo harmonice subserviunt, ut nulla sit exceptio, nisi a peccato oriunda. Essent autem haec omnia non tantum diversa, si diversi essent Dii, verum etiam contraria, si contrarii, Contraria rationis principia, contrariae ratiocinandi leges, contrariae honestatis regulae, contrarii fines. Omnia contraria & secum pugnantia.

Quibus omnibus bene perpensis, iudicet aequus Lector, an satis justam habuerit Grotius rationem dicendi, quod in opere suo de J. B. & P. dicit, unitatem DEI non posse philosophice demonstrari, & annon etiam se ipsum iis argumentis refutarit, quibus pro unitate DEI pugnavit in libello suo de veritate Religionis Christianae. Miror virum maximi iudicii non vidisse, ideam DEI penitus penitusque extingui - quando ei eripitur unitas. Nec sane nostrum quisquam est, qui non malit nullum habere, quam multos, aut vel tantum duos. Miserum est plures in terra Dominos habere, in caelo miserrimum. Duos DEOS ex animo

animo amare, duobus sincere confidere, est unum inter impossibilia.

Jam ut hæc, quæ de existentia DEI differui, adversus omnes scrupulos quam diligentissime muniantur, præjudicia quædam veritati defensæ contraria, vel certe metuenda, & tamen hoc tempore multorum animos occupantia, sequenti sectione, nervosq; eorum conabor elidere.

SECTIO II:da

DE

COGITATIONIS EXISTENTIA SEPARATIM A MATERIA.

§. I.

Jam ut prima illa veritas; Ens æternum & Excellentissimum existere, & ita quidem existere, ut à materia mundana plane sit diversum, nec eam habuerit æternitatis participem, tanto illustrior evadat, & ex suo quasi fundamento eruatur, adhuc duplex desideratur demonstratio. Quarum prior hanc ordine secundam ponit sententiam fundamentalem,

2. *Materiam cogitationis incapacem esse.*

Quod quidem partim in collegio pneumatico,

co, partim adhuc copiosius in peculiari dissertatione de *ineptitudine materiae ad cogitandum* demonstratum est; inde tamen pauca huc arcessam argumenta; imprimis evidentiora, quibus nemo non cedit, nisi suspensionum jam indea teneris susceptarum, nimis tenax. Quae infelicitas est nimis hodie multorum.

S. II.

Novimus quamlibet materiae partem in indefinitum esse divisibilem, adeoque ex indefinitis numeris esse compositam, & quamlibet partis partem similiter. Nullam concipere possumus tam parvam, ut non sit composita & multiplex. Jam vero aut una duntaxat particula corporis animalis est sui conscia, aut omnis. Si una duntaxat, illa, ut dixi, composita est, & multiplex. Non igitur cogitat de se reflexive in singulari, sed plurali numero, cum tamen omne cogitans de se, ut uno, cogitet, & hanc cogitationem per pronomen Ego exprimat. Si omnes sui sunt consciae, idem adhuc magis est manifestum. Cogitant enim singulae, & sic exercitum cogitantium constituunt, non unum cogitans. Unde manifestum est, in homine sui conscio, debere esse simplex aliquod cogitationis subjectum, in quod cogitatio reflexiva

B

pro-

proprie & proxime cadat, quoties de se cogitat, tametsi hæc reflexio per primam & fundamentalem unionis Legem sit confusior: quoniam sensatio nostri tantum non cogit, nos corpus & mentem cogitantem confundere, quoties de nobis cogitamus. Satis tamen est, ideam sui, pronomini Ego respondentem, non esse in corpore, sed in sola anima. Illa est, quæ de se cogitat: non corpus.

§. III.

Jam cum Leibnitiis, forte argumento jam Jallato convictus, in materia, quatenus composita, nullum cogitationis fundamentum invenerit, & tamen in materia illam habere voluerit, coactus est, partes materiæ inextensas & indivisibiles statuere. Sic vero in Idealismum aperte incidit, quo docetur, materiam esse congeriem spirituum. Quid enim ens simplex, vivens & se sentiens, aliud est, quam spiritus? neque enim sensus irreflexus, quem solum monadibus illis elementaribus dat, specie differt à reflexo, quem tribuit spiritibus, sed gradu solo. Ubicunque enim est irreflexus, ibi per naturam possibilis est reflexus. Porro tam impossibile est, ex inextensis componi extensum, quam ex meris nullitatibus numerum entium realium.

§. IV.

Motus quid est? Est cursus corp=
ris per certas lineas; rectas vel curvas.

§. IV.

Alii, his misis. & rejectis, hærent adhuc in suspitione sua, non quidem omne corpus cogitare, sed posse fortassis mechanismum tam subtilem formari, ut inde in quibusdam corporibus oriatur cogitatio, accedente certo quodam motu, nobis incognito. Dic quæso, qui ita suspicaris, quid sit mechanismus? Est ne certa partium magnitudo, figura & situs, quo corpus ad certum quendam motum redditur aptum & habile? Motus quid est? Est cursus corporis per certas lineas, rectas vel curvas. Tertium non datur. Quid per motum in corpore mutatur? Nonne situs inter alia corpora? Mutatur autem vel per rectam vel curvam. Omne artificium motus cursu per curvas absolvitur. Nihil tamen aliud est quam mutatio situs inter alia corpora. Ex qua vide quæso, an sequatur illa altera maxima mutatio, ut videlicet ex ente sui non conscio fiat sui conscium, ex mortuo vivum, & cogitans ex non cogitante. Quæ, qualis, quanta consequentia? A baculo ad angulum. Num facilius evigilabit dormiens materia inter has, quam illas, aut inter illas, quam has materiæ alius partes, inter quas locum obtinet. O stupidas suspiciones sine mente & ratione!

B 2

§. V.

§. V.

Sequitur sententia fundamentalis III: tia: *Quod sui non est conscium, non potuit esse ab aeterno.*

Necessario aliquid ab aeterno fuit; alioquin enim nihil in tempore nasci & oriri potuisset. Nam nihil fit sine causa & ratione sufficiente. At si nihil ab aeterno fuisset, nulla fuisset causa efficiens, nedum sufficiente. Jam id, quod ab aeterno fuit, sibi ipsi ad existentiam & essentiam suam perfecte sufficit. Sine intellectu autem sibi sufficere non potuit. Ubi enim est existentia & essentia, ibi est veritas. Veritas autem sine intellectu nunquam ulla esse potest. Si nullus ab aeterno intellectus fuisset, nec ulla veritas esse potuisset, adeoque nec ens. Non ergo materia. Ais tu quidem, potuisse hæc duo separatim existere, nempe aeternum intellectum, & aeternam materiam. Quæ etiam fuit sententia vetustissimorum in Græcia Philosophorum. Ego vero respondeo, hanc sententiam esse absurdam. Quod enim aeternum est, id sibi ad omnia sua sufficit. Sibi ergo etiam sufficit ad veritatem existentia & essentia sua. Si ergo materia fuisset ab aeterno, illa extitisset independententer ab omni alio, adeoque independententer ab intellectu illo separatim existente. Ergo licet intellectus ille non extitisset, nihilominus

mate-

materia potuisset existere. Quod tamen impossibile esse jam demonstravi: quoniam sic veritas posset esse, ubi nullus est intellectus, a quo, tanquam fundamento existentia & essentia sua, dependet. Concludo solum Ens intelligens extitisse ab æterno, quia solum independentia adeoque æternitatis est capax: Concludo hæc tria necessario fuisse ab æterno, veritatem, intellectum & ens: Sed in hunc numerum non venit materia.

§. VI.

Habuit ergo materia initium? Sed unde? Sit hæc quarta sententia fundamentalis.

4. *Materiam ex nihilo creatam esse.*

Quod quamvis S. Sacra nobis credendum præbeat, tamen & contemtor S. Sacra de eodem ex ratione convinci potest, dum creationem ex nihilo negans, ad absurdum deducitur hoc modo. Si materia cœpit aliquando existere, aut desumpta est ex ipsa DEI substantia, aut solo divina voluntatis jussu atque imperio extitit, vel quod idem est, ex nihilo prodiit. Tertium est impossibile. Jam prius est absurdum. Ergo posterius verum. Probo prioris absurditatem: quia, sive cum Fanaticis dicas, materiam ex substantia DEI emanasse, sive cum Leibnitio, monades derivativas (ex quibus materia componitur

tur) per fulgurationem quandam ex primitiva monade prodiisse, hoc nihil aliud significare potest, quam creaturas omnes, quæ sic à DEO ortæ sunt, esse illi consubstantiales. Id vero manifeste est Pantheisticum, adeoque Atheisticum. Ergo relinquitur; quicquid initio creatum est, ex nihilo creatum esse.

§. VII.

Sed & mundum totam suam accepisse existentiam & essentiam à Divina voluntate, nulla præexistente materia ex qua, porro ita demonstramus. Constat ex superioribus, materiam cogitationis esse & inexpertern & incapacem. Quod non cogitat, aëtivitatem internam non habet. Non ergo movere se ipsum potest. Habet vero motum. Ergo non a se, sed ab alio. Jam cum nullum aliud ens, præter materiam, supponi possit, quam DEUS, vivus, sapientissimus & potentissimus, à nullo alio motum accipere potuit: idque concedunt omnes quoque illi, qui statuunt duo æterna entia. At vero si materia quoque esset æterna, sibi ipsi ad existentiam & essentiam ab æterno suffecisset. Quodcunque autem sibi sufficit ad existentiam & essentiam, id quoque sufficit sibi ad accidentales in se mutationes, (qualis motus est) producendas. Ad has autem materia sibi ipsi non sufficit, quia
 se

se ipsam, dum quiescit, movere non potest. Ergo multo minus sibi sufficit ad existentiam & essentiam: & consequenter ab æterno existere non potuit. A quo igitur motum accepit, ab eo accepit quoque existentiam & essentiam, scilicet a DEO, quippe cum nullum aliud supponatur ens, à quo dependere potuit. Quod erat scil. demonstrandum.

§. VIII.

Supponebamus modo, ens sui non consci-
um, nullam internam habere activitatem,
atque ideo nullam potentiam mutandi status
sui; sine qua potentia se ipsum movere non
potest. Speramus hoc principium nemini es-
se posse dubium aut obscurum. Nihil enim
statum suum mutare potest, nisi in se ipso ha-
beat principium aliquod novæ determinatio-
nis, cujus vi ab uno ad alium statum queat
tendere. Nullum vero aliud principium no-
væ determinationis esse potest, quam volun-
tas, prævio intellectu. Quidquid per inter-
nam suam vim in alio statu esse incipit, quam
fuit, id aliud vult, quam antea voluit. Alias
nunquam incipit esse aliter quam fuit. Nulla
quoque alia ratio excogitari potest, cur cor-
pus, quod se ipsum movere fingitur, a centro
suo versus unum peripheriæ suæ punctum in-
cipiat moveri, cum versus innumera alia æq;

B 4

facile

facile moveri possit, quam quod hic & nunc in hanc, quam in aliam, partem moveri malit. At in materia nulla est voluntas, quia nec intellectus ullus. Se ergo ipsam movere non potest. Leibnitius, hac veritate coactus, monadibus suis, ex quibus materiam componi existimavit, vitam sensumque dedit, ut se movere possent. Quod tamen postulatum est absolum. Volfius quidem non ausus est monadibus vitam dare: dedit tamen eis inclinationem ad motum, & sic hypothese suae fundamentum omne sustulit. Quemadmodum & Epicurus olim atomis suis motum sine vita spontaneum absurde tribuebat.

§. IX.

Sent. Fund. 6: *ita DEUS non est unica in Mundo substantia.* Haecenus ostensum est, mundum esse creaturam DEI, non DEUM, per mundum intelligendo universum systema corporearum rerum, sive earum spectetur materia, sive forma, sive simul utraque. Ex quo sequitur, DEUM Spinozae, nempe mundum, non esse unicam substantiam, quod ille voluit: quia existit ante mundum creatum verus DEUS, substantiarum Princeps. Sed nec defuerunt, qui id, quo mundus videtur contineri, pro principe, imo unica haberent substantia. Quamobrem pauca sunt addenda de loco
mun-

mundi, vel spatio inani infinito, quod multi
 etiam profani philosophi, atq; in his Focis Chi-
 nensis, multi etiam fanatici, cum Principe suo
 Böhmius, & superius etiam quidam philosophi;
 vel ipsum DEUM esse, vel aliquid ad DEUM es-
 sentialiter & inseparabiliter pertinens, esse ex-
 istimarunt. Huc etiam videntur referendi, qui
 spatium illud vel conceperunt, ut Divina omni-
 potentia æternum campum, vel tanquam mun-
 dum quandam idealem, in quo Divina sapientia
 eum in immenso theatro, omnia possibilis con-
 templeretur. Nam hoc ipsum & nihil aliud,
 si quid video, significarunt Ideæ Platonice, in
 mundo ejus Intelligibili splendentes. Inter re-
 centiores Philosophos Lockius, cum secta-
 tore Clerico, eo temeritatis est progressus, ut
 spatium illud inane doceret non reale modo
 esse, sed & supra omnia realissimum, non
 modo Ens, sed & Ens Entium, non tantum
 substantiam, sed & unicam, cetera omnia,
 quæ vulgo substantiæ vocantur, tantum mo-
 dos & modificationes esse hujus unius sub-
 stantiæ. Et quoniam natura substantiæ hujus,
 si vera sit substantia, revera est incompre-
 hensibilis & inexplicabilis, non mirum est,
 eam eidem Lockio vocari rerum omnium
subjectum obscurum. Quemadmodum nec di-
 verso sensu Böhmius DEUM appellavit *Ob-*

scrum nihil, haud dubie spatium illud inane intelligens: quod, quatenus inane, *nibili* nomen, quatenus autem incomprehensibile, simul *obscuri* titulum videbatur mereri: non male equidem, nisi hanc inanissimam ideam delirus homo DEO & creatore suo dignam iudicasset. Nec vero Chinensis ille philosophus, quem jam modo memoravi, alio potuit sensu dicere: *nihilum esse verum omnium primum principium*. Quæ omnia, cum nemo non videat eo tendere, ut nobis persvadeatur, res omnes, quas nos ex nihilo creatas esse scimus & credimus, ex ipsa DEI substantia emanasse, & tamquam modos huic universali subjecto inherere; ex eo facile iudicari potest, quam periculi plenum sit hoc Inane. Ipsa quæstio, an detur vacuum, delicata est, & nisi caute & moderate tractetur, in magnum Religionis naturalis discrimen potest desinere. Tutissima eorum vacui defensorum est ratio, qui statuunt, illud revera esse nihil. Quo confugit cum Gassendo Sturmius, & cum Leibnitio Volfius. Fateor hoc eo difficilius defendi, quod hæc res ab omni parte sit obscura & abstrusa: sed nihil tamen habet periculi, cum e contrario longe periculosissimum sit, habere spatium illud inane pro Ente reali, æterno & infinito. Unde, illud Divinissimum esse, mox

con-

concluditur. Sed & ex controversiæ hujus historia, paulo superius narrata manifestum est, corruptam substantiæ ideam in causa esse, quod potuerit Lockius DEUM suum, hoc est spatium inane, pro unica in mundo substantia habere. Quemadmodum igitur veram substantiæ ideam, alibi adversus Spinofam, qui suum quoque DEUM, nempe mundum, pro unica substantia habuit, alibi adversus Leibnitium, aliter hic aberrantem, vindicavi; ita nunc me ad Lockianos, suo rursus modo substantiæ ideam corrumpentes, convertam, paucis ostensurus, quam nihil sit, in eorum ratiociniis, solidi. Sed quoniam hæc disputatio intricatior videri potest, quam ut juvenili ingenio, delicatiorique stomacho conveniat, sequentem discursum asteriscis a reliquo textu distinguam, ut eum transilire possit, qui ad planiora festinat.

Is, quibus cum nunc disputaturus sum, trita⁶⁶ distinctio inter substantiam & accidens est⁶⁶ fudes in oculis. Per hanc enim coguntur di⁶⁶ eere, utrius generis sit spatium illud inane,⁶⁶ ejus realitatem tuentur. Idcirco duas has⁶⁶ ideas ex animis nostris penitus deleri vo⁶⁶ lunt.⁶⁶

Dicunt

„Dicunt 1:mo, terminum substantiæ esse
 „obscurum, & defini non posse: Dicunt
 „2:do, illum esse male abstractum, cum, per eum
 „spiritus & corpora, DEUS & creaturæ, res
 „contrariæ, in unam massam absurde confun-
 „dantur: Dicunt 3:tio, hunc conceptum ob cau-
 „sam nunc allatam, non determinare earum
 „rerum indolem & naturam, quas substantias
 „vocamus, ut eas agnoscere & distincte conci-
 „pere possimus. Respondebo ad singula bre-
 „viter.

„Fateor 1:mo, obscurum esse hunc terminum,
 „donec explicetur: Fateor istam definitionem
 „hujus termini, quam dant scholastici, esse ob-
 „scuram & ambiguam, dum ajunt, substantiam
 „esse, quod per se subsistit. unde facile con-
 „cluderetur, solum DEUM esse substantiam,
 „quia stricte loquendo solus per se subsistit.
 „Et hoc est, quod illi volunt.

„Porro igitur explicandum est, quid in scho-
 „lasticorum lingua sit *per se subsistere*. Hoc illi
 „bene explicant, dicentes, id per se subsistere,
 „quod non subsistit per aliud, vel in alio, scili-
 „cet subjecto. Nempe modi & accidentia in sub-
 „stantiis, ut subjectis suis, ita subsistunt, ut sepa-
 „ratim ab illis nequeant subsistere; at e contra-
 „rio, substantiæ nullo egent subjecto, sed sine
 „illo subsistunt. Quid hic obscuri? Nihil sane
 pra-

Præter intellectum, à Luce hæc idearum⁶⁶
verborumque aversum.

Terminum substantiæ non ego moror, mo-⁶⁶
do suppetat melior alius. Dicamus *rem*, si mi-⁶⁶
nus placet *substantia*. Quis neget prorsus na-⁶⁶
turalem, & sensui communi insitam, esse di-⁶⁶
stinctionem inter *rem*, & *rei modum* vel *acci-*⁶⁶
dens. Neq; enim ullus est rusticus, ullus bar-⁶⁶
barus, ullus homo sanus vel insanus, qui non⁶⁶
ista duo in praxi novit distingvere, licet in⁶⁶
Theoria distinctionem hanc nesciat. Nemo⁶⁶
tam fatuus est, quamvis valde fatuus, ut pu-⁶⁶
ret motum corporis sui esse *rem*, & ipsum⁶⁶
corpus *rei* illius *modum*: sed omnes omnino⁶⁶
homines, volentes nolentes, hæc contrario⁶⁶
modo distingvunt. Si non placet vocabulum⁶⁶
rei, quoniam DEUS non satis apte *res* appel-⁶⁶
laretur, dicamus *Ens*: sed & simul desinamus⁶⁶
accidentia, cum scholasticis, Entibus a numerari⁶⁶
re, quæ potius sunt Entium, quam Entia. “

Jam cum impossibile sit, quidquam conci-⁶⁶
pere præter hæc duo, *Ens* & *Entis Modum*, si⁶⁶
vacuum statuas, & hoc ipsum contendas non⁶⁶
esse nihil, debes illud concipere, vel ut *Ens*,⁶⁶
vel ut *modum Entis*, seu *accidens*; debes mi-⁶⁶
hi significare, quomodo illud, si non est ni-⁶⁶
hil, concipias. Si dicas, te hoc nescire, per-⁶⁶
inde hoc est, ac si dicas, nescire te, an sit ni-⁶⁶
hil,

hil, an aliquid in rerum natura. De terminorum horum, *Entis & modi Entis*, obscuritate, non itidem, ut de substantiæ, potest queri. Sunt enim termini usitatissimi, & idæ illis respondentes nobis omnibus familiarissimæ.

Porro, ut ad secundum, quod objiciebatur, veniam: Si dicam & DEUM esse Ens & creaturam, spiritum esse Ens, & corpus esse Ens, hanc tantam generalitatem idæ Entis, meram esse confusionem, ajunt. Cum enim DEUS & creatura infinito perfectionis discrimine distent, spiritus & corpus sint contraria, imò contradictoria, absurdum videtur, res tam diversas, imò contrarias, uno vel substantiæ vel Entis nomine comprehendi. Res. Hoc perinde est, ac si dicas, DEUM quidem existere, creaturam autem non existere, & creaturarum spiritualium & corporearum alterutram existere, alterutram non item. Sane DEUS & creatura, spiritus & corpus, nec contradictoria sunt, nec contraria, nec ulla est inter ea repugnantia. Sunt tantum diversa. Nulla vero tanta est rerum diversitas, quæ omnem tollat similitudinem, in qua situm est abstractionis fundamentum, quemadmodum abstractio est fundamentum idæ generalis. Ita quam-

quamvis inter DEUM & creaturam infinita⁶⁶
 sit perfectionis distantia, per hanc tamen non⁶⁶
 perdunt eam similitudinem, quæ sita est in u⁶⁶
 triusque existentia. DEUS est Ens, creatu⁶⁶
 ra est Ens, si substantias dicere non licet. Spi⁶⁶
 ritus & corpus sunt naturæ diversissimæ. At⁶⁶
 tamen in hoc uno similes, quod spiritus sit⁶⁶
 Ens, corpus Ens, neutrum modus Entis.⁶⁶

Dicis 3:tio, ideam adeo generalem esse in⁶⁶
 determinatam, nihilque continere, quod⁶⁶
 naturā unius ab altero distincte ostendat. At⁶⁶
 distingvit tamen genus a genere diverso. Ens⁶⁶
 a modo Entis. Ostendit, nec DEUM, nec⁶⁶
 creaturam, spirituales vel corporeas, esse⁶⁶
 modum entis, sed Ens. Et hoc quidem ad⁶⁶
 generalis ideæ distinctionem sufficit. Speci⁶⁶
 alior idearum determinatio tum fit, cum ad⁶⁶
 species inferiores, earumque specialiores de⁶⁶
 finitiones, descenditur. Profecto, qui hæc⁶⁶
 talia in dubium vocant, cum confusionem⁶⁶
 vitare se velle profiteantur, omnium maximā,⁶⁶
 in omnes nostras ideas, confusionem introdu⁶⁶
 cunt. Miseranda est rationis calamitas, quod⁶⁶
 sceptico hoc tempore ipsum Naturæ Alpha⁶⁶
 betum, quod omni superiori ævo inviolabi⁶⁶
 le & indisputabile fuit, defendere cogatur.⁶⁶

Ex

„Ex iis autem, quæ dicta sunt, patet, Lockæ
 „anum illud *subjectum rerum omnium* esse ob-
 „scurum nihil, cui nulla subest idea explicabi-
 „lis. Nec sane intelligo, quomodo de rebus
 „omnibus, sine maxima confusione, cogitare
 „possint, qui res omnes in substantias & acci-
 „dentia, vel in Entia & Entium modos no-
 „lunt distingvere. Cum nullam substantiæ ha-
 „beant ideam, nec ullam accidentis vel modi,
 „habere possunt. Et tamen his ideis nunquam
 „cârere possunt: idque tum ostendunt, cum
 „*inter subjectum rerum omnium, & res illi in-*
 „*herentes* distingvunt, res illas ut modos con-
 „cipientes, immo nescientes, quid sit res,
 „quid modus. Sed de his jam satis & plus
 „satis.

SECTIO III:tia

DE

ESSENTIA DEI VEL ATTRIBUTIS.

§. I.

Postquam convictum est, existere ens æ-
 ternum & excellentissimum, vivum &
 cogitans, idque unum, & a mundo, omni-
 busque creaturis suis, realiter diversum; proxi-
 mum est, ut de providentia ejus, sensus sanos
 &

ck
ob
bi
bu
an
ci
e
n
li
r
r

& fructuosos juvenum mentibus inspiremus. Dabitur sic occasio simul & eadem opera omnia maxima DEI attributa extra periculum erroris ponendi, cum providentia Divina tanquam forum sit, in quo omnia DEI attributa, quasi negotiandi causa congregentur. Sit itaque 4:ta sententia fundamentalis:

Oeconomia DEI circa mundum est perfectissima, & deoque accuratissima.

Non enim sufficit in genere providentiam concedere, quod omnes faciunt non theoretice Athei. Sed tamen longe plurimi, quod una manu, altera eripiunt, in thesi Divinae providentiae plurimum tribuentes, in hypothese fere nihil. Quae est contradictio moralis, tam usitata quam absurda. Itaque ad hanc fundamentalem sententiam bene constituendam, omnino necessarium est, ut providentiam DEI credamus tam accuratam esse, ut impossibile sit, ullam cogitare accuratiorē. Id quod nunc ita DEO adjuvante, demonstrandum est, ut sedulo nobis cauturi simus, ne cum Leibnitio & aliis, fatalium systematum auctoribus, homini libertatem suam in agendo eripientes, sapientiam, sanctitatem, justitiam & bonitatem DEI violemus.

S. II.

Idea providentiae Leibnitiana in eo consistit, **C** quod

quod DEUS ab æterno systema quoddam futuri mundi decreto suo præstabilierit, omnesque ejus partes & futuras in eo mutationes & casus singulos ita ordinaverit, ut deinde hypothetice impossibile esset, quicquam aliter fieri, quam fit. Tale DEI decretum vocat systema præstabilitum, in quo scilicet ita connexa sint omnia, ut nihil aliter esse aut fieri possit, quam est & fit, nisi & mundus totus turbetur, fiatque alius à se ipso, & DEUS desinat esse id quod est, nempe sapientissimus. Supponit enim DEUM non posse non eligere semper optimum, & hunc quem habemus mundum, omnium possibilium optimum esse, non autem esse optimum, nisi omnia in illo, a maximis usque ad minima, sint & fiant, ut sunt & fiunt.

§. III.

Fateor talem providentiam videri curiosissimam; Nam secundum hanc hypothesein, *ne pilus quidem ex capite hominis decidere in terram potest, sine voluntate DEI*, vel ut Leibnitius Christi verba interpretatur, sine æterna DEI prædestinatione. Videamus nunc, an tam sit perfecta & DEO digna, quam curiosa, sic explicata providentia.

§. IV.

Non equidem omnino negandum est, systema

ma quoddam præstabilitum dari. DEUS enim omnia in mundo futura, saltem secundum præcipuas & ad ultimum finem necessarias partes, ita præstabilivit, ut deinde nulla violentia, quæ libertatis humanæ usum tolleret, sed leni potius adhibito moderamine, in actum deducerentur. Sed plurima tamen, ad fines DEI præcipuos indifferentia, tantum prævidit & permisit: quæ sciri fieri possent, ac non possent, salvo manente toto illo glorioso systemate. Quod equidem accuratissime fieri potuit, & perfectissime, hoc est sine Divinæ gloriæ & sine libertatis humanæ detrimento.

§. V.

At Systema, Leibnitiana methodo præstabilitum, inter multas difficultates, hoc gravissimo premitur incommodo, quod 1. DEUM & omnes DEI actiones inevitabili subiciat facto, nec minus 2. ex humanis rebus plane libertatem tollat; & sic peccati culpam in creatorem sane quam luculenter rejiciat. Negat quidem Leibnitius & cum eo Volfius, hanc consequentiam: Sed nulla potest esse consequentia evidentior. Nam ad creandi consilium quod attinet, id sine dubio fuit optimum. Manifestare gloriam suam, videtur dignius tam glorioso DEO, quam non manifestare.

C 2

Non

Non possumus aliter de eo cogitare. Si vero DEUS non posset non semper id facere, quod nobis optimum videtur, non potuisset a creando abstinere, nec fuisset in creando liber: immo in nullo suo opere foret liber, si in hoc primo libertatem perdidit. Ubi nulla est libertas, ibi mera est necessitas: Ubi mera necessitas, ibi nec intellectus est, nec voluntas. En. præcipitem a verni descensum. Jam si DEUS non esset liber, quomodo libertatem ulli creaturæ potuisset impertire. Sed & ex systemate præstabilito sequitur, nihil hominem libere facere. Non potest enim homo secundum hanc hypothesein, aliud velle, quam quod vult, nisi statuamus aliquid sine causa fieri, quod est impossibile. Voluntas secundum Leibnitianam hypothesein, sumæ inclinationi semper, adeoque necessario obtemperat; & inclinatio non potest non sequi perceptionē, ut rationem suam sufficientem. Sic Leibnitijs: sic Volfius. Distingvunt quidem inter necessitatem Methaphysicam, quam concedunt cum libertate non posse stare, & moralem, quam negant libertati esse contrariam. Sed moralem suam necessitatem vinculis adeo arctis constringunt, ut nihilo liberior sit quam metaphysica illa. Erit fortasse inferius de hoc agendi locus.

§. VI.

Habet etiam alias proprietate hoc systema, DEo inglorias, hominibus noxias. Scilicet in tali regno nec querelæ de injuriis, nec judicium, nec præmium, nec pœna, nec supplicatio, nec spes locum habent. Tali Domino supplicari non minus videretur ineptum, quam si artificem præcari vellem, ut horologium, ab eo ante multos annos confectum, jam sine nova reparatione horas aliter ostendat, quam fit. Subditi, cognito tali rerum fato, possunt quidem artificium & potentiam Regis sui admirari: Sed nec amare illum, nec ad eum, calamitatibus pressi, confugere, nec ei confidere possunt. Quamobrem inter speculationes, moribus & pietati noxias, hoc systema numeratur merito.

§. VII.

Præstat omnes vias Divinae providentiæ vel inerudite vel erudite ignorare, & simpliciter generatimque credere, illam sapientissimam, clementissimam, justissimam, potentissimam, ac insuper liberrimam esse, quam arcana ejus profundius rimando, in sententias sibi & aliis nocituras incidere. Quod in hoc argumento fit facillime. Neque enim nos curiosis & bonis ingenii limites alios hic ponimus, quam quos pietas requirit.

Circumscribantur omnes nostræ cogitationes de DEO & providentia, circulo gloriæ ejus. Hæc norma nunquam nos deceptura est, si recte illa utamur. Quicquid DEO vel inglorium vel parum gloriosum, id DEO non esse tribuendum sciamus. Quicquid etiam libertati Divinæ vel humanæ compedes injicit, id DEO existimemus inglorium.

§. VIII.

Cum autem DEO haud dubie gloriosum sit, si existimemus, providentiam ejus tam accuratam, hoc est, tam sapientem, justam, misericordem & potentem esse, ut nihil supra esse possit, sæpe tamen contingat, ut tam accuratam DEI providentiam homines, præsertim e vulgo, cum libertate humana conciliare non possint; quæritur, quid tum faciendum? Duæ hic adsunt veritates, quarum neutra sine Divinæ gloriæ detrimento negari potest. Una; Divinam providentiam omnibus liberis actionibus metas suas præfigere: altera: nihil tamen libertati nostræ decedere. Has ergo si vel humana ratio in universum, vel mea & tua ratio interdum inter se conciliare non possit, num alterutra ideo neganda? Prohibet, ut dixi, gloriæ Divinæ respectus. Utraque ut sacro sancta & in violabilis tenenda, & conciliandi eas modus, si nobis sit ignotus, omniscio relinquendus.

§. IX.

Jam vero tam parum accurata esset DEI circa universum providentia, quam Regis mortalis circa regnum suum, & Patris familias circa domum, si quidquam nobis in hac vita lætum vel triste cæco casu, & non potius Divino arbitrio iudicioque obtingeret. Hoc inculcat scriptura: hoc idem sana ratio nobis persuasum esse jubet. Neque enim gloria perfectissimi entis potest nobis sat illustris videri, si vel unus nominari posset casus, vel gaudio cujusquam vel lacrymis dignus, qui DEO velut dormiente nobis obtingeret. In supremo Rege, Judice ac Parente, quam accuratissimam bonorum malorumque physicorum dispensationem merito requirimus. Nullum alias esset fundamentum patientiæ & solatii, vexantibus nos variis calamitatibus, nullum spei & fiduciæ in DEO solo collocandæ, sicubi nos contingeret in summis versari periculis, omni naturæ, omni hominum auxilio destituto. Sed sensus carnis, homini in hoc statu naturalis, ab invisibilium contemplatione abhorrens, ad visibilia propensus, in causis secundis cogitationes suas defigit, & rationem male educatam in partes suas trahit. Hæc enim, ne divinam providentiam, qualem S. Sacra, qualem sanior ratio describit,

agnoscere cogatur, difficultates caussatur, & consuetaria fingit inania, hoc imprimis, quod cum libertate hominis conciliari non posse videatur. Qui tamen metus est vanus, primum, quia dictanti scripturæ simpliciter credere debemus, siue eorum, quæ dictata sunt, rationem a priori, & cum aliis veritatibus connexionem teneamus, siue non: deinde, quia homines eruditi facile intelligunt, nullam DEO dignam esse posse providentiam, si DEUS, ceteris curiose gubernatis, voluntatem hominis sine omni moderamine levitati suæ relinqueret. Sed & peritioribus sat notum, hoc moderamine nullam libertati nostræ vim fieri.

§. X.

Sed ratio ad Naturalismum proclivis Prophanum sibi axioma obtendit: *DEUM nihil facere sine mediis*: addunt quidam: *hodie*. Perinde ac si dicerent, hodie nullam DEI providentiam esse; nam ad hanc agnoscendam non sufficit, si concedant, generalem sustentationem rerum creatarum viriumque agendi immediate fieri, quod nemo sine summa impietate negare potest: debent etiam in speciali gubernatione actionum Liberarum aliquid divini præter media admittere: nempe non actionem modo per media, sed actionem quoque

que in media. Si enim nullum medium DEUS sine medio moveat, manifeste nihil moveret, omnibus mediis sibi sic relictis. Sic si quis Rex per ministros suos plane omnia faceret, nihil ipse jubens, nihil vetans, nihil probans, nihil improbens, sed illis modo generalē quidlibet agendi potestatem relinquens; non posset dici quidquam per se ipsum facere, adeoque non re, sed nomine solo Rex esset, re autem Sardanapalus. Qualem fingunt sibi DEum, qui volunt eum nihil omnino sine mediis facere, sic omnem bonorum malorumque suorum causalitatem mediis relinquentes. Vix quisquam adeo erit stupidi ingenii, his bene consideratis, ut non intelligat, aut concedendam esse aliquam DEI in media actionem, eamque immediatam, aut negandam esse omnem Divinam rerum humanarum gubernationem. En catenam consequentiarum:

Qui omnia omnino facit per media, is omnia facit per alia.

Qui omnia facit per alia, is nihil facit per se ipsum:

Qui nihil facit per se ipsum, is ipse nihil facit.

Si ergo DEus omnia faceret per media, nihil ipse faceret.

In

In iis, quæ quotidie fiunt, quæ minoris momenti esse videntur, minus apparet DEI digitus, magis autem in insignioribus eventibus, quos DEUS singulari cura sibi proposuit obtinendos. Quis, ex. gr. nisi Papista vel Atheus, neget, circa initia & progressum augustanæ nostræ confessionis singularem, specialem & extraordinariam fuisse DEI providentiam. At si dicas, DEUM nihil ibi fecisse nisi per media, nihil per se ipsum (quoniam posterius à priori revera sequitur) pulcherrimum Divinæ gubernationis specimen in stultum resolves casum. Fateor nullam esse partem illius historiæ, cujus non reddere possis causam aliquam, naturalem vel politicam, sive veram sive possibilem: Sed mitte singula, & causarum omnium harmonicum concursum, adque finem unum pulcherrimam aptationem intuerè. Ibi causam altiore cogis agnoscere, nisi credas, jactis obiter literis, venustum carmen, aut motis forte fortuna atomis, mundum posse existere. Id enim in hoc de Providentiâ argumento imprimis est observandum, omnia Divinæ providentiæ opera, exceptis manifestis miraculis, in particulis suis vel minutiis videri naturalia, quoniam paria secundum vulgares naturæ leges possunt fieri, fiuntque quotidie, DEIque digi-
ni gitum

gitum, non nisi in tota rei summa, apparere. A deo enim subtiliter DEUS res humanas dirigendo, naturalia & præter naturalia permiscet, ut dum singulas contemplaris partes, distincte non possis dicere, quodnam DEUS efficaciter promoverit, quodnam inude permiserit (utrumque enim fieri credendum est) partes tamen inter se comparans, totumq; negotii Systema attente contemplans, ni cæcus Naturalista sis, DEI gloriam, quasi per naturæ rimas interlucentem, clarissime videbis. Quamobrem, ut tandem hæc paragraphus, opinione mea longius prævecta, finiatur, canonem illum: *DEUM nihil facere sine mediis*, sic crude acceptum, rejicio, ejusque loco hunc substituo:

DEUM in operibus suis uti natura & naturalibus mediis, quousque suppetunt, nec unquam extra, præter aut supra naturam id facere, quod per illam æq; bene expediri potest.

Quod notandum est, ne non necessaria expectemus prodigia; quorum scilicet frequentiam non patiuntur leges Divinæ sapientiz.

§. XI.

Porro de providentia Divina nemo condigne potest sentire, nisi cui plane est persvasum, DEUM esse ubique præsentissimum. Quod & facile demonstratur ex idea DEI, entis

tis nimirum omni cogitabili modo excellentissimi, hoc est, in quo nullus cogitabilis est defectus. Ex quo immensitas manifeste sequitur, & ex immensitate omnipræsentia. Ubi creatura est, ibi virtus DEI sustentatrix: ubi virtus DEI, ibi DEUS. Si ullum autem punctum loci esset à DEO remotum, sequeretur, illum loco aliquo distante circumscriptum esse: sequeretur, punctum illud in nihilo subsistere, hoc est ubi nullum præterea ens esset, adeoque nulla subsistentiæ causa. Et sic esset independens.

§. XII.

Nec vero difficultas concipiendi DEI omnipræsentiam nos deterrere debet à statuenda illa, postquam *Τὸ ὅτι*, ita esse, satis evidenter demonstratum est. Quod Scholastici sine ratione statuerunt de anima, illam totam esse in toto corpore, & totam in qualibet parte ejus, id de DEO necessario admittimus, quamvis tam mirandæ præsentia nullam claram distinctamque teneamus ideam. Sine manifesta autem contradictione illam negare non possumus, cum alias in variis extensi partibus non nisi per partes præsens esse posset. Difficultatem vero hoc concipiendi facit, quod impossibile sit nobis intelligere, quomodo totum infinitum cum finito, simplicissimum cum extenso uniaur, §. XIII.

§. XIII.

Est quidem mirabile, quemquam hominem, de omnipræsentia DEI certo persuasum, posse tam sine omni ejus timore vivere, quam vulgò fieri videmus. Sed causa hujus stupiditatis sat manifesta est: nempe quod DEUS sit visu externo insensibilis, homines autem plerique solis moveantur sensibilibus, de ceteris fere haud secus ac de nihilo cogitantes. Unicum vitii hujus naturale remedium est, animum suum frequenter excitare, ut hoc attente frequenterque meditetur, DEUM nobis semper, ubicunque versemur, præsentissimum esse. Quo autem languidius homines sensibilibus impressionibus reluctantur, eo facilius hujus maximæ certissimæque veritatis obliviscuntur, eoque difficilius etiam pii DEUM timent, tanquam præsentem & omnia videntem: quod hominibus sensui emancipatis hætenus est impossibile. Sed præterea nemini nostrum ignotum est, quanto firmiores sanctioresque, de formidabili illa DEI omnipræsentia, cogitationes volvere possit homo Christianus, si ad speculandam immensi DEI majestatem, supra humiles naturæ rationalis vires, gratiæ alis evehatur, ut de eo dici possit, quod dictum est de Mose, *quod adea forti fuerit anima, ut toleranda pro Christo paupertate,*

tate, ac si DEUM invisibilem videret, scil. præsentem oculis corporeis, Ebr. XI. 27. quamquam & in hoc beato statu, nisi studium & contentio & assidua meditatio adhibeatur, sensibilibus undique irruentium lenocinia animum in oblivionem Divinæ præsentiaæ facillime abripiunt. Magis dolendum est Christianorum non minimam partem, summa sua peccandi temeritate & audaciâ satis ostendere, se id, quod sciunt & credunt, nunquam perpendere, hætenus indignos adeo, qui inter Christianos numerentur: dignos vero, quos universa sapientiorum Gentilium turba erubescere jubeat.

§. XIV.

Superstitio, quæ nihil est aliud, quam timor & reverentia quarundam creaturarum, quæ cum DEO divisum quasi imperium habere videntur, DEI ideam non extingvit quidem: tamen eam nimium quantum corrumpit. Quamobrem merito dicimus.

Superstitionem esse semi-Atheismum.

Superstitiosus enim etsi concedat, immo credat, dari DEUM vivum, creatorem Cœli terræque, & omnia ejus attributa concedat; tamen nec Sapientiæ ejus, nec efficaci omnipræsentiaæ, nec justitiæ aut bonitati confidit, sed de his ita dubitat, quasi ad felicitatem suam

am

am procurandam non sufficerent. Itaque ad alia confugit media, defectum suppletura. Ex quo patet, superstitionem esse Atheismo totali paulo meliorem, perinde ac homo valde ægrotus est melior mortuo.

§. XV.

Cum igitur superstitio ex non numine numen faciat, non confidendo ei soli, sed iis etiam rebus, quæ sunt אֱלִילִים, non Dii, sequitur, eos qui ob abundantiam amoris DEI, cum tenuitate iudicii conjunctam, ea putant esse divina miracula, quæ non sunt, errare quidem, sed non recte dici superstitiosos, quemadmodum hodie appellantur. Possunt enim nihilominus DEO soli omnem dare gloriam, quod superstitiosi non faciunt, in eo tantum errantes, quod propter imperitiam nec naturæ leges, nec Divinæ sapientiæ vias recte assequuti, inter admiranda DEI opera ea numerent, quæ communes naturæ vires non superant. E contrario hi, non obstante simplicitate sua, multa vident ac observant Providentiæ Divinæ specimina, ad quæ homines naturalistice eruditi cœcutiunt, multos eventus ad gloriam DEI memorabiles pro fortuitis & contemnendis habentes. Judicent sapientiores, annon hi quam illi sint digniores superstitiosorum nomine. Certe te-
cun-

cundum datam superstitionis definitionem, quam nemo damnare potest, Naturalista omnium maxime est superstitiosus.

§. XVI.

Quamobrem illi quoque omnes in superstitionis merito numerantur, qui naturæ supplicat, ut fata sibi futura revelet. Sive enim hi sint Astrologiæ, sive aliarum divinandi artium amantes, satis tamen produnt, quærere se in natura omnium rerum futurarum causas. Hi igitur, dum omnia Divina & humana cæco subjiciunt fato, ostendunt, quam falsam vel potius nullam Divinæ sapientiæ & potentiæ, bonitatis & justitiæ foreant ideam, providentiam DEI evertentes, gloriam ejus contulcantes. Astrologiæ judiciariæ vanitatem, & amatorum ejus stultitiam duobus eruditissimis scriptis, uno latine in prælectionibus academicis, altero Germanice consignata, ostendit Sturmus senior. Mihi satis erit citare insignem locum è Barclai argenide Lib. 2. p. 140. edit. Lips. An. 1639. usque ad pag. 255. ubi breviter & nervose ars illa ludibrio exponitur. Animam vero humanam nulla naturali præditam esse divinandi potentia, quod nonnulli sibi persuadent, ostendam infra Cap. 3. Sed mundus vult decipi, & quidam eruditi fallaciam, quam tacite agnoscunt, publice promovent.

§. XVII.

§. XVII.

Causa naturalismi, pariter ac omnis superstitionis, tam subtilis quam crassæ, non est alia, quam quod plerique homines parum magnifico de DEO sentiant. Ex quo intelligitur, quanti intersit, ut juventus nostra, sapientiæ studiosa, ideam DEI quam sanissimam, imò quam magnificentissimam, in mentibus suis stabiliant, & hanc seriis meditationibus sibi familiarem reddant. Prout enim quisque magis vel minus ad hanc ideam attendit, ita magis vel minus DEO tum confidit, cum fortunæ ejus jacienda est alea. Ubi sane non tam ex dictis, quam factis judicandum est, quod quisque in quolibet casu sentiat, & quali quantoque Enti maxime confidat. Hodie apud homines eruditos & nobiles prorsus evuluit, & in solo vulgo residua est vetus illa superstitio, qua genii quidam, ut Dii sibi propiores, etsi minores, adorantur, boni aliqujus obtinendi mali que avertendi gratia. Elegantius nostro tempore est, in natura spem suam collocare. Quod qui faciunt, licet sciunt naturam esse ejusmodi DEum, quæ aures non habeat, tamen suspicantur, in ea omne genus medicinæ latere, occultasque ejus vires variis ceremoniis posse elici & in partes suas trahi. Ita Naturalistæ hujus temporis phi-

D

loso-

Iosophantur, & sic stolidos vulgi errores stolidissimo suo calculo confirmant.

§. XVIII.

Attributorum DEI, quæ in providentia ejus operosa sunt, nullum prius nobis occurrit, quam sapientia ejus: Cujus objecta sunt omnia 1. possibile, quæ sunt infinita, cum suis possibilibus consequentiis, 2. quæ actu sunt, 3. quæ actu fuerunt. 4. quæ actu erunt. Hæc omnia sunt scibilia. Non essent autem scibilia, nisi daretur scire potens. Neque alias daretur Ens omni cogitabili, adeoque possibili modo excellentissimum.

§. XIX.

Ad possibile 1. referimus omnes eorum consequentias. Quo pertinent futura sub conditione possibili: quorum scientia dicitur media. 2. eodem referimus omnes possibilitatis modos, seu modos quibus ea perfici possint, quæ sunt possibile. Qui illos omnes novit, neque eorum rationem a priori extra, sed intra se invenit, is non potest non esse omnipotens, hoc est facere posse ea omnia, quæ fieri possunt. Sed observandum est, quædam esse possibile in se & possibile creaturæ, quæ tamen impossibile sunt DEO; quia contradictorium est illa a DEO fieri, non contradictorium ea fieri, scil. a creatura. Talis

lis possibilitas est in peccato & omni ea actione, quæ pugnat cum divinis attributis, Sapientia, iustitia &c. Possibile est illa fieri, impossibile est illa a DEO fieri. Sed & contra Leibnitium notandum, non pugnare cum sapientia DEI, nisi facere aliquid inepte & stulte, non item, facere id, quod in minori gradu pulcrum est ac artificiosum. Unde patet sapientiam Divinam in operibus suis & objectis admittere gradus, nec ulla necessitate interna obstringi ad ea semper facienda, quæ præ aliis aliquam habent naturæ prærogativâ. DEUS semper quidem facit, quod hic & nunc optimum est factu: non autem necessario semper, quod absolute & in se est optimum. Sic Deus semper quidem sapiens, sed etiam semper liber in creando. Nisi enim cum grano salis, & cum hac quidem distinctione, principium Leibnitianum: *DEUM semper optimum eligere*: accipiamus, omnia Divina opera inevitabili fato subjiciemus, & non erit nobis ex hoc barathro effugium.

§. XX.

Iustitia vero Divina non admittit gradus. Impossibile est, DEUM quidquam facere, quod vel sit injustum, vel minus justum, aut quo iustus aliud cogitari possit. Iustitia enim DEI nullas habet regulas, nisi fatales, hoc est,

est, naturæ ejus tam insitas, ut eas non magis mutare aut deserere possit, quam naturam suam & essentiam. Et tales veritates, quæ morales appellantur, omnem expressam antecedunt legem. Intelligendum hoc primum est de justitiâ dicastica, sive judicante, cujus vias ratio humana melius novit, quamvis adhuc imperfecte. Sed justitiæ vindicantis immutabilem rigorem, qui nobis in S. Sacra revelatus est, ratio naturalis minus intelligit. Neque enim satis perspicue demonstrare possumus, cur DEUS non possit peccata simpliciter condonare sub conditione pœnitentiæ, sine alia satisfactione: & cur pœnitendi facultatem simpliciter dare nolit. Sunt quidem, qui putent hunc Divinæ justitiæ rigorem ex amore DEI erga se ipsum gloriamque suam fluere: Nec id negari potest; posito, justitiam Divinam esse talem; cum DEUS justitiam suam non possit non amare, dum se amat. Sed nisi primum demonstretur, in Divina natura talem justitiam esse comprehensam, quæ impediat, quominus possit DEUS sine satisfactione peccatis ignoscere, videbitur hæc argumentatio petere principium.

§. XXI.

De cognoscenda prima mali origine omnes fere homines, data occasione sunt curiosi.
Caven-

Cavendum vero, ne curiositas illa in eas nos cogitationes præcipitet, quæ justitiam bonitatemque DEI vel obscurent dubiamque reddant, vel plane evertant. Quod facile fieri, cum fatalistæ suo exemplo, tum multa inter nos multorum proterva ostendunt judicia. Hanc igitur regulam ante commendatam, & postea vindicandam, semper teneamus: *Consilium ente excellentissimo indignum, adeoque ei inglorium, non potest esse DEI consilium.* Sufficit nobis scire, quod certissimum est, malum morale & physicum, ut ejus consecrarium, in mundum introiisse, non efficiente, sed tantum permittente DEO, & permissionis hujus dari in Divino intellectu rationem justam, & cum misericordia ejus non pugnantem, sive illam nos exquirere & invenire possimus, sive non. Mihi videtur, difficultas hic non esse tanta, quanta plurimis videtur præsertim postquam sententiam de eo orthodoxam ingeniosis suis sophismatibus premere cæpit Bælius. Videtur autem imprimis propterea, hæc causa obscura & difficilis, quod adeo proclives sint fere plerique ad suspicandum aliquid mali de DEO. Proclivitas illa oritur ex naturali mentis corruptione, quam nos Christiani peccatum originis appellamus. Adest etiam fallax quædam species crudelita-

tis, ex eo orta, quod DEUS videri possit multo fecisse melius & clementius, si cavisset, ne peccatum à primis nostris parentibus committeretur, quod omnipotenti fuisset facile. Non opus hic est confugere ad Leibnitianum principium, DEUM scilicet necessario eligere mundum optimum, in quo peccatum debet habere locum suum. Præstat ad Divinam provocare justitiam, quæ non jus tantum dabat permittendi malum, sed etiam postulabat, ut permitteretur, idem etiam postulante sapientia, cum alia probabili conditione libertatem dare non potuerit, quam ut non impedita exerceretur. Et hoc ad absolvendum, ab omni crimine optimum DEUM omnino sufficit.

CAP. II: dum DE MUNDO.

§. I.

Prima hic sententia fundamentalis esto hæc sequens.

I. Mundus non est infinitus.

Cartesius docuit mundum esse magnitudinis indefinitæ, quia non ausus est infinitam illi tribuere, quod tamen ex principio ejus, *Spatium esse infinitum, omne spatium esse exten-*

extensum, & *omne extensum esse corporeum*: omnino sequitur. Athei, ut obtineant, non alio opus esse DEO, quam mundo, eum infinitum esse contendunt, eundemque aeternum. At finitum esse, patet ex eo, quod impossibile sit infinitum ex finitis componi: omne enim compositum ex finitis, factum est per additionem. At additio finiti ad finitum totum facit finitum. Alias diceremus id, quod absurdum est & contradictorium, finitum una finita parte auctum, per illam infinitum fieri. Sic finitum daret quod non habet, scilicet infinitatem. Sequeretur etiam, mundum & ab oriente, & occidente, & aquilone & austro infinitum esse: & sic plura esse infinita, non unum. At infinitum ab una parte, minus est infinito in utramque. quod minus vero est alio, ad huc est finitum. Mundus ergo finitus quidem est: sed cum finis hujus, ubi & qualis, idea nobis nulla sit Divinitus concessa, eo, quod mente comprehensum tenemus, contenti sumus, quod scire non possumus, omniscio libentes relinquamus. Sane mundo infinitas non sine magno periculo tribuitur. Licet enim infinitas molis, quæ mundo competeret, si infinitus esset, vilior multo videatur, quam infinitas illa Divina, quæ tota est spiritualis; suo tamen modo mundus DEO

æquaretur, si esset infinitus, cum tamen scriptura doceat, DEUM omnibus cœlis esse majorem.

§. II.

Secunda hoc capite sententia fundamentalis:

2. *Mundus contingenter existit & contingenter talis existit.*

Contingens est in existentia, quod potest non esse: contingens in essentia, quod potest aliter esse. Mundum esse contingentem in existentia, probavi supra. Jam probandum est, in essentia contingentem esse, quod supra cap. I. Sect. I. §. 5. ut satis manifestum, supposui.

§. III.

Manifestum scilicet est, innumerabiles alias mundi formas, à nostro diversas, esse possibles, & æque possibles. Est igitur præsens mundi forma ideo contingens, quia non sola possibilis, adeoque nec necessaria. Necessarium enim esse non potest, quod aliter esse potest. Nec adeo difficile est probare, quod alium, scilicet possibles esse mundos aliarum formarum, sive totum, sive singulas ejus partes majores vel minores consideremus, ut id hic necesse sit demonstrare. Potuisset

isset terra nostra major esse : potuisset esse minor : potuissent corpora hominum majora vel minorā esse. Et sic poterant terrā magnitudini ceterā mundi partes esse accommodatā. Quod igitur nunc est mundus, id esse contingit.

§. IV.

Hinc fluit nobile confectarium, ad superius caput de DEO pertinens, nempe dari ens sapientissimum & potentissimum, quod ex innumerabilibus formis possibilibus hanc unam, ut fini suo aptissimam elegit, electamque ad actum determinavit. Quæ demonstratio est Leibnitiana, eaque egregia. Sed & hoc loco quæri potest, annon mundus potuerit esse ab æterno, & tamen contingens. Scilicet quæritur, an non mundus jam inde ab æterno potuerit creari, nempe ex nihilo. Sane enim quodcunque ex nihilo creatum est, contingenter existit. Affirmat hoc post Thomam Aquinatem, Volfius : negant ejus adversarii. Decisio petenda est ex vera æternitatis idea, dabiturque respondendi occasio, proposito sequenti canone.

§. V.

Tertiā hic fundamentalis sententia hæc esto:

3. *Impossibile est mundum esse æternum.*

Si enim æternitas mundi significat infinitum

D 5

tem-

tempus, quo duravit (quæ æternitatis notio, omnibus Naturalistis sedet infixâ) ætas ejus non dum infinita esse potest, cum augeri non dum desinat. Non ergo existit ab infinito tempore: quia non dum infinitum fuit. Neque enim intelligo, quomodo possit ipso actu infinitum esse, quod numero constat in infinitum multiplicabili. Semper finitum manet, quod semper augeri potest. Vere infinitum augeri certe non potest. At vero si æternitas hic significat existentiam infinitam sine fluxu temporis, illa naturæ mundi prorsus repugnat. Talis enim æternitas absolutam immutabilitatem involvit. Mundus autem non potest esse immutabilis, cum ex partibus mutabilibus sit compositus. Neque enim parum absurdi sunt Pantheistæ, dum volunt hoc totum esse immutabile, licet partes ejus sint mutabiles, & mutantur perpetuo. Nam non possunt non partes esse ejusdem naturæ, ac totum suum. Quod ex partibus corruptibilibus componitur, id ipsum est corruptibile, tamen si longe diutius ætatem ferat, quam partes ejus singulæ, imprimis minutiores.

§. VI.

Quarta Sententia fundamentalis:

Absurdum est mundum ex fortuito atomorum concursu ortum esse.

Hoc

HOc modo stultorum princeps Epicurus putavit mundum esse factum, sine ulla demonstratione supponens 1. atomos, 2. eorum motum gravitatis perpendicularem, per lineas primum parallelas, deinde ad se invicem inclinantes, 3. Solennes motus leges. At hæc omnia sine ulla ratione supponit tanquam necessaria, cum manifeste sint contingentia. Sane gravitas materiæ ante formatum systema absurde tribuitur. Si enim, quod vestissimum est, in systemate jam formato, non omnia corpora necessario sunt gravia, sed quædam pro ratione quantitatis suæ levia, quædam in statu neutro; eo insanius erat gravitatem dare corporibus extra systema versantibus, ubi nullus erat terminus à quo, nullus ad quem, laberentur. Quamobrem nullum est dubium, quin motus gravitatis unica sit ratio Lex quædam motus specialis, Divino verbo tum stabilita, cum systema mundanum formaretur, vel esset in fieri. Et hæc Lex, quemadmodum omnes ceteræ motus leges, quas habemus, est contingens. Ergo à causa aliqua priori determinari debuit. Posita vero hac causa, & positis legibus motus, posito motu, non dum tamen sine directione ad finem, machina tanti artificii fieri potuit. Sine motu enim omnium partium concordia &

& harmonicò, impossibile est opus fieri concors & harmonicum. Impossibile quoque est, motum multarum, multo magis innumerabilium atomorum, sine sapientissima & potentissima directione ad unum finem, fieri harmonicum. Alias enim dicendum esset, quod Epicuro exprobrat Cicero, omnes atomos pacto quasi inter se inito consensisse in eos motus, qui toti formando convenirent. Ex quibus patet, circa mundi natales non solum Epicurum delirasse, sed & Cartesium, dum docuit, mundum hunc, licet Divina manu elaboratus sit, tamen sua quasi sponte talem potuisse fieri, qualis nunc est, si DEUS tantum, generalibus illis motus regulis conditis, motum inchoasset, sine ulteriori concursu. Et hic quidem locus in toto Cartesio est omnium pessimus, & a piis ejus amicis merito deploratus.

§. VII.

HOc, quod dixi, impossibile esse, probat etiam quotidiana experientia, cum in mundo infinitis fere modis concurrant & conflictentur particule, & nusquam tamen cernantur machinæ, aut vera organica corpora inde orta. Vulgo quidem creditur, excipiendam hic esse generationem insectorum, quæ à Scholasticis æquivoca dicitur, & videtur fieri

eri per fortuitum particularum concursum. Sed sensus fallit oculos, non cernentes modum & processum generationis hujus, & occultas seminum circumvolantium vias & introitus in corpora illa, in quibus generantur. Cum igitur mihi vero simile sit, Epicurum, fortasse & Cartesium, hoc experimento male intellecto, primum in eam venisse cogitationem, mundum esse ortum, vel saltem oriri potuisse eodem modo, quo insecta prima specie oriri videntur, merito addimus superiori hanc quasi ancillantem Sententiam fundamentalem.

§. V.

Generatio æquivoca non datur in rerum natura.

PRæter rationes a priori, quibus hanc sententiam vindicavimus, jam dudum quoque accuratissimis evicta est experimentis, nec quidquam objicitur, quod non facile diluatur. De quo cum alibi satis egerim, nolo hic actum agere. Id unum juvenus nostra meminisse debet, sententiam illam vulgarem de generatione insectorum æquivoca, recta nos ducere ad atomos Epicuri. Qui enim credit, ex solo concursu particularum corporis putrescentis, sine ulla entis intelligentis directione, machinas tam subtiles fieri posse, quam insectorum sunt corpora (quæ est portio quædam

dam Hypotheseos Epicureæ) is non debet Epicuream mundi constructionem pro impossibili habere, modo supponantur generales motus leges, quas Epicurus æternas esse putavit. Quid ni enim casus, in partibus minutissimis tam felix & ingeniosus, in toto idem præstaret?

§. VIII.

Sexta sit hæc Sententia Fundamentalis:

Mundus non potuit fabricari sine virtute supernaturali.

NAM cum mundus, quantuscunque est, contingens sit, & ante certum temporis spatium natus, nec ante illum quidquam aliud possit concipi, quam Ens æternum, sequitur omnino, vim illam & potentiam, per quam mundus est factus, ad ens æternum, hoc est ad DEUM esse referendam. Nam vis illa vel potentia, quam vocamus naturam, cum ad mundi essentiam pertineat, cum mundo est nata. Si ergo dicas, DEUM per naturam hanc mundum produxisse, absurdus es; Neque enim DEUS per naturam operari potuit, dum fecit naturam.

§. IX.

Septima Sententia Fundamentalis:

Mundus nec potest conservari sine virtute supernaturali,

Non

Non opus est, ut hic demonstrem, ipsam materiam, in se & natura sua nihil habere, per quod duret, cum eam ex nihilo creatam esse, supra evictum sit. Ex eo enim sequitur, existentiam illi non esse essentialem, vel quod idem est, illam non necessario sed contingenter existere. Qui ergo dedit illi esse, idem dat porro esse, vel existentiam suam continuare. Quemadmodum existentia ejus, ita durationis nulla alia ratio sufficiens dari potest, quam Divinae voluntatis admirabilis efficacia. Imprimis autem hoc loco demonstrandum est, formam mundi, una cum statu, motu & ordine suo sine virtute supernaturali non posse conservari. Durat forma mundi, durat partium ejus motus, manentque leges naturae generales & speciales initio rerum conditae. Has autem potuisse poni, & non poni, poni hoc vel alio modo, acleoque tam contingenter durare, quam contingenter ortae sunt, solo nimirum DEI sapientissimo arbitrato, tam perspicuum est, quam quod maxime. Quemadmodum enim in natura materiae nihil inest, quod magis postulat motum, quam quietem, aut quietem quam motum; ita nec ulla necessitas hos poposcit motus & quietis modos, qui nunc in natura observantur. Nam licet ad talem mundum, qua-

qualis nunc est, fuerint necessarii; cum tamen mundus infinitis aliis modis formari moverique potuerit, patet etiam leges naturæ alias atque alias in infinitum fuisse possibiles. Jam cum leges illæ nullam aliam ortus sui rationem sufficientem habere potuerint, quam Divinam voluntatem, nec durationis suæ aliud principium possunt agnoscere. Ex quo tandem sequitur, nec formæ mundi, (cui scilicet motus harmonicus est essentialis) rationem sufficientem aliam, quam virtutem DEI supernaturalem dari posse. Quod erat demonstrandum.

§. X.

ITaque egregie delirant, qui putant totum mundum eodem modo motum suum sine concursu Divino continuare posse, quo horologium sine concursu artificis sui motum suum continuat. Quis enim non videt rationem utriusque diversissimam? Horologium est, quo ad materiam, pars mundi, & vi formæ suæ artificialis, fit particeps motus illius, qui jam ante est in mundo, mundum & naturam supponens, ut principium motus sui. At mundus totus, ut ut perfectior millies omni alia machina, nullum tamen, intra, extra, circa, supra se aliud principium motus habere potest, quam DEUM: Cujus cessante

te concursu, moveri non potest, adeoque
 nec conservari: quemadmodum cessante aë-
 ris motu, cessaturus esset motus horologii.
 Quod si probe teneant juvenes hostri, facile
 cavebunt sibi ab infidiolis hodiernorum Na-
 turalistarum ratiociniis, dicentium, DEO, ar-
 chitectorum sapientissimo indignum esse, ma-
 chinam facere, quæ sine perpetuo ejus con-
 cursu moveri & in statu suo conservari non
 possit: indignum, perpetua facere miracula:
 quod fieret, si DEUS semper ad conserva-
 tionem ejus immediate concurreret. His re-
 sponde primum, miraculum non esse, quod
 fit ordinarie, atque ideo perpetua miracula
 esse contradictionem in adjecto. Deinde ju-
 be talem ratiocinatorem ponere vel suppo-
 nere horologium in vacuo, & fatebitur, ibi,
 sublato omni externo motus principio, ho-
 rologium moveri non posse, adeoque ma-
 chinam materialem fieri non posse, quæ sua-
 pte vi moveatur & motum suum continuet.
 Nam eorum sententia, qui cum Campanel-
 la, Glissonio, Leibnitio & aliis, tribuunt
 partibus materiae minimis activitatem spon-
 taneam, jam supra ut periculosa & ad natu-
 ralisimum recta ducens explosa est. Nec ta-
 men (quod notandum) ipse Leibnitius cum
 Wolfo potuit modum ostendere, quo acti-
 vitas

vitas minimorum naturæ ad procurandum
majorum corporum motum esset efficax. Ipsa
impossibilitas talis demonstrationis obstat,
quo minus id tentaret.

§. XI.

VIII:va Sententia Fundamentalis:

*Temere nec sine periculo statuitur, mundum
hunc ita præstantissimum esse, ut impossi-
bilis sit præstantior.*

Temere: quia, qui inter omnes formas
vult optimam demonstrare, is putat se om-
nes posibles formas nosse, earumque in-
finitas connexiones in numero habere: hoc
est, se esse DEum. Sed & periculum habet
quia pandit viam ad fatum Leibnitii, modo
assumas alterum ejus principium, DEum
non posse non semper id, quod est absolute
optimum, eligere. Ex quo sane sequitur,
mundum hunc, qualis nunc est, non libere,
sed necessario esse creatum.

§. XII.

IX:na Sententia Fundamentalis:

*Temere & periculose inquiruntur fines divisi-
bilitatis materiae.*

Temere: quia ingenio humano prorsus in-
superabiles difficultates hic occurrunt,
in

in quamcunque nos partem convertamus, siue scilicet finitam divisibilitatem siue infinitam conemur defendere. Attamen id quod tutius est, minusque habet periculi, modeste tueri licet, scilicet, non dari fines divisibilitatis. Dico hoc esse tutius: quia si divisibilitatem materiae in atomis finiri doceas, tolles ex partibus materiae materiam, sublata extensione, & sic eas in spiritus convertes. Hæc enim videtur prima fuisse origo Idealismi Leibnitiani, quo primum ex elementis materiae extensionem sustulit, deinde illis vitam sensumque dedit.

§. XIII.

Circa mundi systema tres addo cautelas:

Cautela prima: si Scriptura Divina in thesi si disertis verbis contradiceret Systemati Copernicano, anathema esset, qui nihilominus illud defenderet. Cautela Secunda: si quis etiam plane sibi persvadeat, pugnare hanc hypothesein cum script. sacra, anathema est, si illi nihilominus assentiatur, quamvis alias supponamus eam esse veram & naturæ convenientem. Cautela 3:tia: qui autem certus est, sententiam hanc cum S. Sacra nullo modo pugnare (qua in sententia me fateor esse) nemini tamen eam conetur obtrudere, neque ea de re disputet cum hominibus plane ineruditis & imbecilli,

cillis, putantibus hanc sententiam esse impiam, memor consilii Paulini, ne turbentur conscientia, Rom. XIV. I. usq; ad XV. & I. Cor. VIII. 9. ad finem. Licet enim hoc scandalum sæpe sit acceptum duntaxat & non datum, non raro tamèn pro dato haberi potest.

§. XIV.

Sin vero licebit Cabalistiche S. Sacram interpretari, hoc est, non secundum regulas hermeneuticas, quas ratio suppeditat, sed secundum imaginationes varias, nihil usquam erit stabile & certum, & facile erit contradictoria defendere: Quemadmodum haud ita pridem celebris Paradoxista Ziffermannus, integro libro, cui titulum fecit scripturam Copernizantem, voluit ex S. sacra Systematis Copernicani veritatem methodo Bõmistica demonstrare: nuperrime vero quidam contrarium se ex literis & accentibus Hebræorum se demonstrare posse confidenter est professus: uterque iis argumentis, quæ nemo sanus & sobrius capit.

§. XV.

Xima Sententia Fundamentalis:

Non datur actio in distans.

In tota nimirum natura rerum non datur actio

actio in id, quod à causa & operatione ejus est remotum. Tenendum est hoc contra quosdam philosophiæ & principiorum rationis destructores, qui hoc nixi irrationali principio, *dari actionem in distans*, quidlibet pro quodlibet facillime nobis obtrudunt; inter alios Robertus Fludd in Philosophia sua mosaica. Observanda autem est contradictio in hoc insano principio; si enim dicam, *dari actionem in distans*, perinde est, ac si dicam, *dari effectum ab ea prodeuntem causa, cum qua nullam plane connexionem habet*: & hoc perinde est, ac si somniem, *dari effectum sine causa*. Fluddii argumenta nullius sunt momenti.

§. XVI.

XI:ma Sententia Fundamentalis:

Quicquid sapit irrationalem magiam, contemni meretur.

Irrationalis est magia, ubi evidenter constat, inter causam & effectum nullam esse posse connexionem, vel ex tali causa, talem non sequi effectum, qualem magus somniat: ut cum quis ex gr. docet omnia miracula vi fortis imaginationis fieri posse, & sexcenta ejusdem generis. Sane si hoc magorum principium, *perinde esse sive connexio causa*

Effectus appareat, sive non, valebit, fieri non potest, ut ulla pars sanioris Philosophiz defendatur. Nec ipsi fidei cum hoc principio bene est; cum omnia miracula Divina hoc modo in Phenomena naturalia facillime converti possint.

CAP. III:tium

DE HOMINE.

PRIMUM de ANIMA.

§. I.

Primum agendum est de anima, quia nisi jam antea constituatur distincta ejus a corpore existentia, non poterimus deinde agere de corpore ut altera hominis parte, nec de homine, ut ex binis partibus composito. Prima ergo hæc stabiliatur sententia maxime fundamentalis:

Habet unusquisque homo animam spirituales,
a corpore suo substantialiter distinctam.

Quæ sententia etsi clarissime ex eo sequatur, quod supra demonstratum est, corpus non posse esse cogitationis principium, adhuc tamen magnæ huic veritati robur quoddam addere conabimur.

§. II.

§. II.

Sensus ille communis, quem in nobis deprehendimus, quo tam variae ex variis organis illapsae sensationes & diversissimae passiones in unum cadunt subjectum, clarissime sentiens se ista omnia percipere, frustra in corpore, frustra in cerebro quaeritur. Quantulumcunque in cerebro punctum corporeum habeas pro centro, quod omnes illos motus, quasi a peripheria venientes recipiat, incident tamen in partes diversas puncti illius, quasi per circumferentiam dispositas & sic non in unum subjectum. Nulla enim materiae particula, modo & illa materialis sit, tam est parva, ut non centrum habeat a peripheria diversum. Itaque nisi cum Leibnitio fingas corpus humanum esse compositum ex monadibus indivisibilibus, unamque harum dominantem credas, nullum habebis commune tot sensationum subjectum. Sed ista hypothesis quamvis hactenus nobis saveat, omnia tamen corpora in spiritus absurde resolvit. Immo si fingas unam in toto corpore humano indivisibilem particulam esse dominantem, & hanc cogitare, hanc in cerebro, ubi cogitationes nostras certe nobiliores sentimus, esse sitam; quaeri potest, quo naturali medio particula illa tam mollis & fluxae substantiae, quam est medulla

cerebri, teneatur in loco suo fixa, dum cetera omnes partes etiam superiores, per insensibilem transpirationem paulatim evolvant, & illasque sibi surrogatas habeant. Quamobrem argumentum quoque illud, quo usus sum in Grammatista Philosophante, sine dubio est invictum: Nempe quod corpus nostrum quotidie multa per insensibilem transpirationem perdat, tandemque omnia, ut tamen cogitans maneat idem, qui fuit, distante id interna cuiuslibet, & infallibili conscientia. Ergo cogitans illud non est corpus.

NOTA. XVIII.

§. III.

Ipsa sensus communis contradicit Lochius, dum contendit, posse fieri, ut homo sit alius quoad substantiam quam fuit, & tamen sibi videatur idem. Quod sane est, unum ex impossibilibus. Nam licet fieri possit, ut Irus per delirium putet se esse Cræsum, alius credat se esse Christum, aliena sibi tribuens attributa, (quem sermo notum mihi est exemplum decrepiti cujusdam sacerdotis, qui ob memoriam deliquit, putavit se non esse Pastorem suæ ecclesie, nec nomen suum agnovit) se tamen esse aliam substantiam, quam antea fuit, nemo unquam sibi persuadere potest. Adco oidea illa, quam per se oculum ego: et proximis, distinguit

guit quodlibet individuum cogitans a toto reliquo mundo ! Agnoscit hoc Leibnitijs, & ex hoc principio immortalitatem animarum conatur adstruere : de quo infra.

§. IV.

Secunda in hoc capite sententia fundamentalis est hæc :

Animam cuiusque hominis esse immortalem.

Quæ stare non potest, cadente superiori. Hæc autem tam fundamentalis est, ut nulla magis. Habet enim immediatum in vitam & mores influxum. Nam nemo profecto, credens se totum cum corpore moriturum, potest DEUM habere pro DEO, aut cum ut DEUM amare. Sine quo nulla in animo scintilla virtutis & probitatis esse potest; quippe cum nulla alioquin esse possit obligationis internæ agnitio. Immo vix crediderim quemquam, in ea versantem sententia serio persuasum esse posse de existentia sapientis & rerum creatarum providi curatoris. Itaque eo magis felicitati esse debemus de munienda hac veritate, non tantum in usum civilem, ut vinculum illud societatis Religio conservetur; sed etiam moralem, immo Christianum.

§. V.

Sciendum vero, non docere nos animam ita esse immortalem, ut impossibilis physice

E 5

ut

fit mors illius, quasi per naturam suam necessario semper existeret; sic enim esset ens etiam a parte anteriori æternum. Potest tam facile a DEO annihilari, quam creata est. Tota quæstio est, an dignum sit DEO, creare tam mobile ens in finem tam ignobilem, ut nempe operetur ad tempus in corpore, & dein cum corpore moriatur: vel an DEUS velle possit, ut anima cum corpore moriatur? Nolle DEUM probo sequenti argumento:

Quodcumque ens ad majorem finem aptatum est, id non ad minorem solum a DEO destinatum est: Anima humana ad multo majorem finem, quam ad solum vitæ hujus miseræ & transitoræ usum aptata est, nempe ad vitam æternam & beatissimam.

Ergo non ad solum illum minorem finem est destinata.

Probo majorem: quia ineptum est facere medium fine suo majus, ut si quis vellet adhibere viginti robustos homines ad portandum unum infantulum, aut ædificare ingentem arcem, ut in ea alantur canes, vel facere machinam mille rotarum, tantum ad gyrandam carnem asinam &c. Minor est manifesta; sine dubio enim anima capax est æternæ vitæ, aptaque ad Divinam gloriâ multo sublimiori modo promovendâ, quam fieri potest in hac vita, qualis

nunc

nunc est. Sic sine dubio indignum esset Divinam sapientiam, spirituales substantias maximarum perfectionum capaces, destinare ad tantam miseriam, & ad nullum majorem finem. Immo si animam in multo beatiori & à peccatis immuni statu ponas, nulla daretur ratio ob quam vellet DEUS felicitatis illius abrumpere lineam, & continuam actionem ejus prohibere. Nihil nisi invidia tale quid suadere posset.

S. VI.

Potest idem ostendi ex justitia DEI. Sed nolo his immorari. Id tantum observo, finem DEI primum & quasi antecedentem omnino fuisse, ut omnes anime eterna fruerentur secum felicitate, gloriamque sibi darent eternam. Sed an omnes etiam per voluntatem DEI consequentem eternum victurae sint, ratio sibi relicta, nequit nos certiores reddere. Neque enim rationi videretur vel cum sapientia DEI, vel cum bonitate ejus aut justitia pugnare, si DEO placeret piam tantum animas eterna donare vita, impias vero & immorigeras in poenam annihilare; quanquam rectiora docet nos S. Sacra. At annihilationem tamen illam non statim futuram, quando corpus collabitur moriturque, sed futurum esse publicum quoddam judicium,

mi, in quo rectissimam de omnibus hominibus sententiam DEUS feret, id optime sic monstratur. Indignum est suprema justitia, ullum injuste factum creaturarum rationalium non iudicatum relinquere: Nec eam minus indignum, ullum suum iudicium sine executione relinquere: Denique & hoc indignum, non ita iudicare & exequi, ut omnes tandem intelligant, quid iustum, quid iniustum, atque sentiant in se fructum bonarum suarum. Malarumve actionum. Quae cum in hoc statu pleraque non fiant, utdam non nisi imperfecte, his sane positus consequitur, debere omnes animas corporibus suis esse superfluas, & communi referari iudicio, impiasque etiam debere tormenta sua pati, antequam annihilentur, si scilicet supponatur eas aliquando annihilatum iri. Fateor hoc argumentum esse valde ritum apud Philosophos Christianos: sed leio minoris esse ponderis, nemo iudicabit, nisi qui erga antiqua ratiocinia itidem est animo affectus, ac erga antiquas vestes. Nec ero unquam animadverti, hoc argumentum his displicere, quam quibus trita, vera & solida DEI idea displicet. Ceterorum omnium emmo negaverit, hanc immortalitatis animarum demonstrationem esse summe apodicticam

cam. Sed tamen observandum est, sufficere ad finem philosophicum, quod hoc argumento demonstratum sit, animas omnes corporibus suis fore superstites, easque iudicio Divino reservari. Hæc enim persuasio non potest non homines mortis, & quæ post mortem sunt expectanda, identidem admonere.

§. VII.

Tertia Sententia Fundamentalis:

Anima hominis vere est libera.

Libertas enim voluntati tam est essentialis, quam voluntas animæ. Non igitur tolli ex anima potest, nisi anima simul tollatur ex mundo. Usus vero & exercitium potentia hujus in spiritualibus tolli posse, non sublata ipsa essentiali potentia, cum tristis experientia testatur, tum extra omnem controversiã ponit Scripturæ testimonium. Quod quamvis ita sit, nisi tamen firma in animis nostris stet sententia, animam in omnibus suis actionibus mere naturalibus ita esse liberam, ut ipsa suarum determinationum vera sit causa, actum erit de omni moralitate, hoc est, de omni discrimine honesti & inhonesti: ut sequente articulo demonstrabitur. De cetero ad demonstrandam hanc naturalem animæ libertatem non opus est alio, quam sensu nostro
inti-

intimo, eoq; omnibus hominibus communi : qui si nos fallat, dubium quoque nobis erit, an vivamus, an cogitemus, an revera existamus. De quibus per solum hunc sensum intimum certissimi reddimur, nec tamen de illis certiores, quam de libertate nostra. Nec vero libertatem hanc refellit aut infringit, sed rationi duntaxat paullo obscuriorem reddit *necessitas* illa, quam Leibnitius *monem*, vel *sapientis* appellat : ut cum sapiens, quamdiu sapit, non videtur posse id facere, quod suscipi faciendum non potest sine summa stultitia. Hanc enim necessitatem voluntas sibi ipsi sponte imponit, dum in sufficiente veritatis luce versans, nullam videt rationem id nolendi quod vult, aut id volendi, quod non vult. Sic non absolute quidem necessarium, aut fatale, sed certum tamen est, sapientem, qua talem, non electurum esse malum, qua malum, aut malum clarissime se prodens ut malum. Denique nec libertatem hanc sufflaminat Leibnitii *Principium* novum quod *indiscernibilium* vocat. Indiscernibilia ipsi sunt, quæ omni modo sunt similia. Ex. gr. duo media æqualiter apta ad finem suum. Ibi dicit sapientem neutrum eligere posse, quia nulla est ratio, cur unum alteri præferatur. Ex quo principio negat

DEUM

DEUM potuisse ex duobus mundis possibili-
 bus aequè perfectis alterum eligere. Quam
 inanem subtilitatem alibi explosi. Nunc id
 tantum dico, iis qui hoc principium presse
 urgent, necessum tandem fore cum humana
 Divinam libertatem, & hanc quidem inprimis
 tollere. Et in hac quidem causa, quic-
 quid dicant alii, vicit Leibnitium Clarkius,
 Germanum angulus, Heros Heroëm.

§. VIII.

Sententia Quarta:

*Non meretur creatura rationalis laudem, quæ
 superiorem, nisi ob libere facta.*

NEGAT hanc veritatem Leibnitius, sic sane
 sensum comunem deserens, Hobbesianum
 sequens. Quid enim manifestius esse potest,
 quam neminem legi obnoxium esse laudan-
 dum, nisi ob quaecumque laudis meritum,
 nec ullum apud nos homines esse meritum
 actionis prorsus necessaria. Fuit hæc mi-
 ra & paradoxa thesis Leibnitio necessaria,
 ut moralitatem & discrimen honesti in-
 honestique, meriti & culpæ utcumque tue-
 retur, sublata libertate arbitrii, quæ cum e-
 jus hypothese stare non potest. Sed an-
 tequam solidius de hac questione iudicium
 nos

nos formare possimus, ante omnia aeternus fons omnis laudis gloriaque est contemplandus. Fons ille DEUS est, qui cum prima sit causa & ratio, cur cetera omnia sint, & cur talia sint, ut laudari possint, manifestum est, in eo quoque primam contineri rationem omnis laudis & gloriae: solus ideo per se & propter se laude gloriaque dignus: adque non tantum propter actiones suas spontaneas & liberas, sed & propter gloriosam suam naturam & essentiam. DEUS enim solus sibi ipsi omnia sua debet. Nihil aliunde accipit, ne id quidem quod est, ne tum quod libere vult & facit. Hoc itaque extra omnem controversiam positum esse debet, DEUM, & Divina omnia eminentissimo quodam modo laudem gloriamque mereri: tamen non possit esse a se ipso diversus, aut unquam non laudanda facere. Quae ab eo creata sunt, pro suis quaque perfectionibus, etiam laude possunt censi digna; sed aliter atque aliter. Substantiae a DEO creatae, earumque naturae & essentiae, tamquam pulchrae laudari possunt: Sed tota illa laus in creatorem, unde sunt orta, redundare debet. Elucet enim ibi non operis ipsius, sed opificis sapientia & potentia, quam opus tamquam speculum repraesentat. Quando

do autem actiones creaturarum liberae laudantur, eatenus laus illa in creaturas redundat, quatenus ab illis profectae sunt. Cujus tamen laudis adhuc potissima pars ad creatorem redire debet, non tantum quia libertatem dedit, sed etiam quod ens liberum in iis posuit circumstantis, ut libertatem suam bene exercere posset. Quibus hoc ex disciplina Christianorum addi potest, quod DEUS lumen naturae sustentet & vires ejus non tantum custodiat, verum etiam adjuvet, ac bonis motibus adaugeat, ubi ei non malitiose resistitur. Itaque fallit Leibnitii argumentatio, dum homines etiam sine libertate recte laudari aut vituperari posse, ex eo probat, quod ipse DEUS, propter essentielles suas & immutabiles perfectiones supra omnia sit laudandus. DEUS, ut dixi, omnes suas perfectiones tantum sibi ipsi debet, homo suas DEO. Divinae perfectionis necessitas, & ratio ejus DEO plane est propria; humanae autem ratio alibi quaerenda: nempe in DEO. Nihil ab ipso homine ita profici scitur, ut ob id laudari possit, nisi quod vult facere, dum potest non facere. Haec una est ad meritum via; haec una naturalis idea moralitatis. Quamobrem magis oratoris

ria quam philosophica est ratio, quam assertit Leibniti^{us}, dum ait, *cum qui dixit, Catoni impossibile fuisse quidquam facere contra mentem, tanto magis Catonem laudare voluisse.* Illud enim impossibile, non necessitatem libertati contrariam, sed constantiam & firmitudinem propositi haud dubie significabat. Observa vero, quod, quamvis hoc in foro rationis, necessario contra fatalistas defendendum sit; non tamen in foro revelationis negandam esse moralitatem peccati hæreditarii, licet illud suo modo involuntarium, scilicet in se, & voluntarium duntaxat fuerit in sua causa, primo nempe nostro parente, in quibus omnes peccavimus.

§. IX.

Vita Sententia Fundamentalis.

*Dantur notitiæ innatæ, vel potius
naturales.*

REfero hanc inter fundamentales, quia negatio ejus hoc tempore ut plurimum conjuncta est cum negatione animæ, vel saltem cum dubitatione de distincta ejus existentia & essentia, à qua proclivis est descensus ad Atheismum. Dicam vero primum, quid nomine ideæ innatæ intelligamus: nempe repræ-

repræsentationem, quam mens non ex sensu corporeo, sed ex se ipsa sensuque suo intimo haurit, vel haurire potest. Tales dari repræsentationes & eas differre à potentia recipiendi quasdam notitias per sensus externos, facile intelligit quisquis *ideas existentia, vita, cogitationis, libertatis, causæ, effectus, finis, medi*, earumque originem bene considerat. Hæ enim nihil sunt aliud, quam sensationes intimæ, per reflexionem illustriores factæ. Vitam ex.gr. suam vivens, semper & necessario, confuse tamen, sentit, quicquid alias cogitat & sentit. Eam vero distincte sibi repræsentat, quoties de vita sua cogitat. Et distincta ejusmodi repræsentatio vocatur idea: quæ per abstractionem fit generalis, dum simul de nostra & aliorum viventium vita cogitamus. Quod cum manifestissimum sit, mirabile est, de idearum origine sine fine disputari.

§. X.

Sexta Sententia Fundamentalis.

Datur multarum veritatum certa notitia.

Vix quisquam de hoc hodie dubitat; nam vetus ille scepticismus, omnes conculcans scientias, pene est emortuus. Quoni-

am tamen ab hac exitiosa doctrina, recta ad atheismum tendente, nullum tempus plane est tutum; cum nuper quoque Huetius, vir in paucis eruditus, eum resuscitare sit conatus, nec ab illo alienus videatur Bælius; et jam nunc adversus eum munimento aliquo indigemus. Primum vero contra eos scepticos, qui olim maxime delirarunt, supponendum est, dari veritatem, non *realem* modo, quam Metaphysicam vocant, sed *idealem* quoque, Logicam alias dictam. Dantur res, vere existentes: Ergo veritas realis: cumque verum sit, has res existere, datur veritas logica, hoc est, vera connexio subiecti hujus & prædicati, vera propositio, res existere. Immo si nulla res daretur (quod impossibile est) hoc tamen verum esset, nullas dari: & sic iterum daretur veritas logica, tametsi per impossibile nulla esset veritas metaphysica. Vera enim esset hæc propositio negativa: nullas dari. Imprimis vero dubitatur de certa veritatis notitia, quam dubitatores illi putant natura nobis negatam esse. Ajunt deesse nobis certum veritatis cognitæ *criterium*, sine quo verum, à falso distingvere non possumus. Videbimus mox de cetero. Jam primum *cur ad hoc dis-*

pu

putabo, daturus unum alterumve exemplū veritatis, quam nemo scepticorum negare poterit. Scilicet se vivere & vivendo existere, ratiocinari, dubitare, disputare, quivis scepticus necessario agnoscit; omnia enim hæc in se intime sentit, & ita sentit, ut ea negare non possit, nisi omne nobiscum disputandi jus sibi ipsi eripere velit. Quis non rideat disputantem, qui contendat nescire se, an vivat. Et per se manifestum est, talia sentiri non posse, nisi mentem afficiant; nec mentem afficere posse, nisi in mente sint, nec in mente esse posse, nisi mens existat. Quæris, ex quo criterio cognoscam, hæc, quæ sentio, esse vera? Respondeo, ipsam sensationis claritatem eorum esse criterium. Quod si ipsi Sceptico eripias, ne scepticus quidem esse potest, quia nec affirmare quidquam, nec negare potest, si dicat se hæc in se non sentire, nec se certum esse, an affirmet vel neget, immo an existat. Dum autem sentio me existere, vivere, cogitare, simul sentio, hoc verum esse, & hoc, quod verum est, non simul posse esse falsum. Quod vocatur *principium contradictionis*; per illud enim intelligo, prorsus impossibile esse, ut duo contradictoria simul sint vera vel falsa.

F 3

Hæc

Hæc igitur duo principia : *unum, qui quid verum sit, querit, vere existere: & id quod verum est, non posse simul esse falsum* : ante omnem aliam quæstionem & inquisitionem ita firmiter supponuntur, ut impossibile sit sceptico sine illis sectam suam formare. Utrum horum principiorum prius sit, imperite quæritur. Sunt enim æque prima, & se mutuo implicant, adeo ut alterum sine altero ne concipi quidem possit. Nec quicquam amplius requiritur ad scepticum omnia desperantem refutandum, si videlicet supponatur, nihil præter hæc certum esse. Possunt autem ex hisce longe plura deduci, æque certa, si æque clara. Sed cavendum est, ne cum vulgo Philosophorum spuria claritate decepti, incerta multa pro certis venditemus. Præterea, ut fides Christiana sibi semper constet, non statim negabimus verum esse quicquid contradictorium videtur. Nam licet mysteria a DEO nobis revelata tam certa sint, ut nihil certius esse possit, tamen insuperabilem habent in hoc statu speciem contradictionis. Causa est, quod in propositionibus, quibus mysterium aliquod continetur, vel neutrius termini, vel non alterius claratur & distinctam habemus ideam.

Quam

Quamobrem in his talibus, nullum nobis de contradictione, nullum de terminorum conciliatione, relictum est iudicium. Qualia abstrusarum veritatum exempla cum multa occurrant nobis in Philosophia, quis miretur, in Theologia occurrere. Adde adhuc unum monitum: nullam cum scepticismo Theologiam sibi constare posse; Nam supponit S. Sacra rationem: supponit veritates quasdam notas, & inter has unam principem, existere creatorem cœli & terræ: Rom. I. Deinde cum ratio sit necessarium Theologiæ organum, nescio quomodo scientia esse possit, sublato, vel quodidem est, inutili reddito, ejus organo.

§. XI.

Septima sententia fundamentalis.

*Dantur veritates aeternae, in aeterna DEI
natura fundata.*

Fateor hanc sententiam alias pertinere ad caput de DEO: sed ideo huc eam arcessivimus, quod inter aeternas veritates sint etiam quaedam morales: quæ quoniam cum intellectu humano divinitus communicatæ sunt, Divinamque originem juris naturalis arguunt, hoc capite, ubi de homine agitur, sunt

tuenda. Quod necessarium est hoc tempore duas ob causas. 1. quia multum divinæ auctoritatis perdit jus naturæ, si cum recentioribus plurimis existimemus, illud in æterna DEI justitia ejusque æternis regulis non fundari, sed a DEO tantum secundum regulas sapientiæ, fuisse libere excogitatum. 2. quia admissio, nullas esse æternas & immutabiles justitiæ divinæ regulas vel veritates morales, non potest Calvinianorum absoluta prædestinatio potenter refutari, nec Sociniani cum Dippelio, justitiam DEI scelerum vindicem negantes, sat feliciter refelli. Dari autem æternas justitiæ Divinæ regulas, quasi semina omnis moralitatis; ex eo abunde constat, quod nulla alias justitia in DEO esse posset, vel saltem non distincta a sapientia. Quod sane triste & horrendum auditu. Quis enim eum judicem amabit, quis ei confidet, qui de causa qualibet judicat, non ex meritis ejus, ut Jurisconsultorum ritu loquar, sed secundum fines suos privatos? Talis autem JUDEX DEUS esset, si omnia ejus judicia cardinibus tantum sapientiæ verterentur. Sapientia enim Divina, si tollas ab ea notitiam regularum justitiæ & bonitatis, tantum versatur circa fines arbitrarios & media.

Plura

Plura argumenta dedi in Collegio morali & sibi. Observandum vero est, veritates illas æternas æternitatem suam habere in DEO, non extra DEUM, non objective & independenter, ut Scholastici post Platonem somniarunt. Sunt enim DEI essentiæ penitus penitusque innexæ. Ad essentiæ rerum creaturarum quod attinet, quas scholastici æternas esse docuere, hæc non aliter concedi possunt, quam si per eas intelligantur æternæ possibilitates, quarum fundamentum est in DEO, quatenus eas in actum produci, contradictionem vel pugnam cum Divina natura non involvit.

§. XII.

Octava Sententia fundamentalis.

Datur obligatio interna.

Quæ veritas Atheis opponitur, & iis, qui hodie nescientes Atheis favent: in quibus & illi numerandi, qui Jus naturæ ita interpretantur, ut non possit non in Politicam privatam resolvi. Hæc autem nullam gignit obligationem nisi externam, hoc est, non imperantem conscientiæ, sed tantum svadentem ea, quæ privatim sint utilia. Obligatio autem interna ita ligat conscientiam, ut qui

F 5

sentit

sentit eam, non possit non fateri, se in culpa esse & pœnam mereri, si aliter faciat, quam lex jubet: aut si non sentiat eam, nihilominus tamen teneatur peccato, legi non obsecundans. Qualem obligationem dari qui negat, quamvis non in thesi, in hypothesis tamen seu consequenter, negat DEum.

§. XIII.

Quod ut amplius intelligatur, aliam parallelam subjungo sententiam:

Nona sententia fundamentalis.

Lex naturalis, qualem Atheus agnoscit, non est vera lex.

Hanc illis oppono, qui hodie legem naturæ ita formare, ita demonstrare aggrediuntur, ut possit etiam ab Atheo recipi. Quis non videt contradictorium esse, legem DEI ab eo recipi, qui DEum negat? **Qui** negat DEum, negat quoque legem ejus. **Qui** legem negat, non recipit. Cum enim atheus, qua talis, semper existimet, se sine peccato legem violare posse, modo sibi sit utile; manifestum est legem ab eo non haberi pro lege. Idcirco licet verissimum sit, Atheum quoque lege Divina obligari, etiam in conscientia, quatenus est creatura DEI rationalis.

tionalis, legem DEI habens cordi suo inscriptam, ut ut detestandis ejus præjudiciis pene oblitteratam; tamen non potest ab eo, quæ tali, recipi, nisi secundum principia ejus formetur, hoc est omni obligandi vi privetur. Quid ergo iniquius, immo irreligiosius esse potest, quam si nos, ut jugum subire cum Atheis possimus, Jus Naturæ eorum impietati adaptemus? Debet illud sine dubio ita concipi, ut est, sive ab hominibus quibusdam agnoscatur, sive non. Quo ipso nullo nos jure privamus puniendi Atheos, si leges Divinas humanasque violent. Est enim error eorum facile vincibilis.

§. XIV.

Decima Sententia fundamentalis.

Falsum juris naturalis fundamentum multum facit ad corrumpendas ideas nostras morales.

Nam fundamentum hic significat *præceptum fundamentale*, in quo uno reliqua omnia fundentur, & ex quo deduci possint. Stoicorum fundamentum, *vivendum esse convenienter natura*, scil. primum *humana*, deinde *universæ*, pantheismum sapit. Ponit enim naturam quasi DEAM juxta DEUM, DEUMque facit naturæ totius partem vivam & ratio-

rationalem. Quo & spectat eorum celebre effatum: *virtutem per se esse expetendam*, quod quamvis sano sensu admitti possit, icil. virtutem non esse expetendam voluptatis aut utilitatis gratia; tamen secundum principium supra commemoratum dici non potest, virtutem ut convenientem naturæ, absolute per se & propter se esse expetendam, ne voluntatis quidem Divinæ habita ratione; quippe quæ & ipsa secundum hanc hypothesin penderet à communi naturæ, eidemque fatali velut vinculo est obstricta. Virtus enim ut illi docébant, per se est pulchra, adeoque per se amabilis. Quis non videt in virtute, quæ talibus ideis nititur, parum pietatis esse, adeoque in virtute virtutem desiderari? Quis non videt, inter atrociores afflictiones quam parum sit solatii in hoc idolo? Sed omnes gentiles ita virtutem à voluntate Divina abstraxisse dici non potest, ac ne omnes quidem Stoicos. Quamobrem ex hoc generatim non concludere licet, virtutem hominis gentilis non posse non esse falsam, de quo postea.

§. XV.

Recentiores quidam ita fundamentum juris naturalis instituant, ut legis vim perdat, eoque

eoque progrediuntur, ut legem proprie dictam esse negent. Quo pertinet Thomasi fundamentum, quod novissime orbi erudito propinavit, accommodatum ad summum ejus bonum: scil. *facienda esse que vitam hominum reddunt & maxime diuturnam & felicissimam, & vitanda que contrarium habent effectum.* Lib. I. cap. 6. §. 21. fundamentorum juris naturalis. Quod sane fundamentum, si nullo profundiori innitatur fundamento, non potest non esse ad palatum Athei. Jus enim naturæ sic explicatum, nihil est aliud quam Politica vel Oeconomia privata. Puffendorffii socialitas potest quidem meliorem admittere interpretationem: sed potest etiam, si solum ponatur, Thomasiانو esse suppar. Itaque vel ob has idearum moralium corruptelas, necesse est nobis tale ponere Juris naturalis fundamentum, ut ex eo statim eluceat, quod tendere, & quem spectare præcipuum finem debeant actiones nostræ. Quale fundamentum nunquam alibi quam in Divini nominis glorificatione inveniretur. Quod qui nimis generale putant esse, parum vident, non animadvertentes, posse aliquid generale esse, & non ideo statim remotum. Est sane hoc fundamentum, quando ad primam legis natura-

turalis tabulam applicatur, immediatum, quando autem ad secundam, partim immediatum, partim mediatum. Et posteriori in casu subordinatur illi aliud specialius: nempe vel socialitas Puffendorffii, vel aliud simile. Si cui placet amorem DEI pro fundamento assumere, ut aliquando placuit Thomasio, ei non repugnabo. Recte enim explicatum eodem recidit, eundemque habet usum, nempe ut adversus corruptelas idearum moralium antidoti loco esse possit. Ne quis autem existimet, me Thomasianum illud fundamentum prorsus rejicere, fateor illud supponi posse tanquam Thesin generalem, ex qua multa hominis erga se ipsum officia deducantur. Nego omnia: tantoque minus totum Jus naturæ ex illo, ut a priori, recte demonstratur. A priori inquam, quia in moralibus finis utique prior est mediis. Quis autem dixerit vitam in hoc statu diuturnam & tranquillam, legitimum esse finem omnium nostrarum actionum, nisi & contendat amorem sui esse fundamentum omnis virtutis. Quod tamen Atheismo est proprium. Ex quibus etiam intelligi potest, quid de Volfiano fundamento sit judicandum: *omnia ea facienda esse, quibus homo reddatur perfectior, possunt sane*
 ex

ex eo deduci omnia officia: sed non ut à priori: non ut ex fine communi: qui omnino est sublimior, nec potest esse alius, quam DEI gloria. Et nisi tale ponatur J. N. fundamentum, quod summum contineat finem omnium nostrarum determinationum, non poterit non juvenus Philosophiæ studiofa, falsam finis, falsam obligationis, falsam deum virtutis ideam animo concipere, & sic vitia sua virtutum nominibus tegere. Fateor tamen Volfianum fundamentum esse melius Thomasio, imprimis ut illud explicat in horis suis subscriptis Mapurgensibus.

§. XVI.

Undecima Sententia fundamentalis.

Omnes Gentilium virtutes falsas esse, sine periculo dici non potest.

Quod ita ostendo: nam i. quemadmodum verum, ita falsum non recipit gradus. Si ergo omnes omnium Gentilium virtutes sunt falsæ, sunt etiam æque falsæ. Itaque unus gentilis non potest esse moraliter nequior altero: Omnes æque scelerati: omnes æque isti malo audaces & pervicaces: omnes æque veritatis cœlestis osores & irrisores. Et hoc sequitur, eos, qui convertuntur, aut ca-
su

In cæco, aut absoluta prædestinatione con-
 verti, nulla habita ratione conditionum pæda-
 gogicarum, quas tamen supponi ex Theolo-
 gia debere novimus. 2. Hæc Thesis: *omnis
 gentilis virtus est falsa, huic æquipollet: Im-
 possibile est homini naturaliter quicquam face-
 re, nisi quod dicitur philautia.* Quod prin-
 cipium Thomasi & quorundam gallorum
 male philosophantium merito averfantur do-
 ctiores nostri. Lumen enim rationis natura-
 le extingvit, omnemque vim libertatis na-
 turalis radicitus evellit. 3. Sequitur ex hac
 sententia, impossibile esse gentili, ideam ha-
 bere DEI unius sapientissimi, justissimi, cle-
 mentissimi, uno verbo perfectissimi creato-
 ris, sustentatoris, gubernatoris rerum omni-
 um, omnia referentis ad meritissimam suam
 gloriam, quod religionem naturalem jugu-
 lat, vel pugnat cum experientia, ut vel ex
 iis patet, quæ de DEO, tanquam ex commu-
 ni sanorum hominum sententia, disseruit Cel-
 sus, referente Origene. Vel si quis concedat
 posse DEUM sic a gentili concipi, cogetur
 tamen hanc hypothesin asserere, impossibile
 esse, ut DEUM conetur colere prout eum
 cognoscit. Ex eo autem sequeretur falsum,
 esse effatum Pauli, inexcusabiles esse genti-
 les.



les, qui DEUM cognoverunt, & tamen mundum ut DEUM glorificaverunt, secundum cognitionem ejus, quam habuerunt. Rom. I. v. 20. 21. At propositum naturale glorificandi DEUM, quod in multos gentiles cecidit, quamvis valde infirmum, inter dictamina sanæ rationis & pessimas in contrarium inclinationes fluctuans, atque inprimis ad restituendam homini amissam DEI gratiam prorsus ineptum, tamen in suo genere & in sphaera naturæ, haud dubie est virtus: non æquivoce sed univoce, licet in gradu longe inferiori, quam virtus vere Christiana, ex fide prognata: qua sola propter Christi meritum, homo creatori suo gratus esse potest. Quam noxia sit bonis moribus hæc sententia, vel ex eo patet, quod homo gentilis, qui putat philautiam esse omnium suarum actionum unicam & fatalem genetricem, non possit non omnem desperare virtutem, adeoque omnis generis libidinibus & voluptatibus se sine ulla reluctatione dedere: quam noxia sit fidei, ex eo liquet, quod ex eadem hypothese ad Christianos quosdam fluxerit ea opinio, ne regenitos quidem quidquam boni facere posse, DEUMque amare, nisi ductos amore sui. Qua sententia nihil esse potest Atheismo

G

VICI-

vicinius. Alii quidem moderatiores dicunt, impossibile esse homini gentili & irrogenito quidquam facere, ex alio principio, quam Philauthia. Sed & hæc sententia videtur aliquid ex superiori trahere; statuitur enim nihilominus, voluntatem non posse obtemperare rationi meliora suadenti: statuitur, gentilem non posse DEUM ullo modo amare. Amor enim DEI, qui ex nullo alio principio, quam philauthia fluit, non sane est amor DEI, sed sui ipsius. Qui si virtus sit, cadit etiam virtus in Atheum blasphematorem. Jam ad celebrem illam quæstionem quod attinget, *an detur amor DEI omnino desinteressatus*, vel an sit possibilis, immo an necessarius talis DEI amor? respondendum est distincte: Si 1. intelligatur amor passivus, id est inclinatio vel desiderium, quo mens naturali instinctu versus bonum aliquod rapitur, videtur illa tractio tota oriri ex naturali amore boni, qui est ipse amor sui: & is quidem eatenus nihil habens vitii, quatenus ad naturam mentis & essentiam pertinet. Hunc igitur amorem nemo desinteressatum posset sine contradictione dicere. Sed si 2. intelligatur amor activus, hoc est sincerum propositum æstimandi DEUM, non tantum prout sibi

sibi utilis est, sed & prout ipse dignus est, & secundum hanc æstimationem desideria sua & inclinationes moderandi, dici non potest, tale propositum homini gentili adulto & naturaliter sano prorsus esse impossibile, ne dum Christiano. Possumus amare nomen viri boni, nobis ex historiis antiquis cogniti, qui multa justitiæ suæ, multa misericordiæ Specimina edidit; licet nos, qui in diversa versamur mundi ætate, nullam ex ejus justitia & bonitate privatam utilitatem percipere possimus. Quidni ergo possibile sit amare DEUM ob bonitatem suam, non tantum quia nobis, sed & quia aliis profuit. Is autem amor, qui à respectu ad nos ipsos, nostramque utilitatem vel tantillum deflectit, eatenus utique est desinteressatus. Vult quidem Buddeus, amorem hunc, quem activum voco, proprie non esse amorem, omnem amorem in affectu quodam formaliter consistere ratus, sed præter quam quod hæc exceptio ad Logomachiam referri possit; ex eo etiam, quod Buddeus vult, sequitur, non dari amorem moraliter bonum, cum in ipsis affectibus passivis, secundum Philosophicam æstimationem nulla sit moralitas. Quemadmodum autem contraria huic Thesi opinio,

tanquam excessus quidam veri est vitanda, ita nec minus alterum vitandum est extremum, in quod impingunt, qui vel cum Pelagianis gratiam divinam habent pro supervacanea, vel cum mysticis quibusdam absurdas abstractiones nobis pro veritate cœlesti obtrudunt. Quid enim absurdius esse potest, quam svaves de Divina bonitate meditationes in loco æternorum cruciatuum fingere.

§. XVII.

Duodecima Sententia Fundamentalis:

Omnes homines jure naturali sunt æquales.

Hanc practicam sententiam ceteris fundamentalibus annumero, cum nemo, nisi qui conatur eam animo infigere, & vita exprimere, cum aliis hominibus, scil. ordine inferioribus, socialiter possit vivere. Optandum esset hanc veritatem, *omnes homines naturam æquales esse*, ita omnibus feliciter natis, inprimis nobiles, immo principum filiis, posse inculcari, ut sciant, se maximam iis omnibus injuriam facere, quos aliter tractant, ac ipsi vellent tractari, si in eorum essent situ. Quod vel nobilissimis facillime contingit, si à barbaris capiantur in bello vel peregrinatione maritima. Manifestum vero est,

est, omnia illa jura, quæ in rebus publicis præ aliis habent alii, non esse connata, sed pactis vel aliena liberalitate acquisita, sive quis ipse illa acquisiverit, sive parentes aut majores. Neque enim quisquam homo eam habet naturam, ut vi naturæ suæ, nulla alia accedente ratione, jus habeat aliis hominibus dominandi, aut obligetur ad serviendum aliis. Immo si quis ob naturales suas dotes, & aptitudinem ad dominandum jus haberet actu dominandi, sequeretur 1. omnes eos, qui in regno aliquo idonei sunt sceptro, actu reges esse, adeoque jus habere regnum occupandi etiam inter se mutuo. Et sic darentur jura contradictoria. 2. in statu naturali iidem haberent jus in omnes homines, ad serviendum aptiores, per totam terram, & qui apti sunt ad serviendum, obligati essent ad serviendum simul multis, etiam inter se inimicis. Si hoc autem Divinæ voluntati esset conveniens, DEUS certe nollet pacem inter homines esse, & Hobbesianum quoddam bellum omnium in omnes intenderet. Et quis sic esset judex aptitudinis & ineptitudinis hominum ad dominandum vel serviendum? Quilibet sane homo sui ipsius esset judex quamdiu scilicet suppo-

nuntur omnes esse in statu dubio, ante omnia facta. Vix autem quisquam tam esset stultus, ut non dignum se imperio existimaret. Ex quo patet, ex potentia hic non magis quam in aliis, actum sequi, & à posse ad esse ne hic quidem valere consequentiam. Quamobrem non dubium est, quin jura, quæ immediate ex communi natura proflunt, sint in omnibus hominibus æqualia: atque ita quoque obligationes communes. Et hæc est naturæ illa æqualitas, quam omnibus hominibus omnes tribuunt doctores naturalis juris.

§. XVIII.

Multum ad hanc veritatem firmandam, tollendumque errorem contrarium facit, si credamus, immo sciamus veram esse.

13:am Sententiam Fundamentalem:

Animas omnium hominum esse æquales.

Quod & facile demonstratur à priori, scilicet à fine creatoris. Scilicet cum omnis diversitas ingeniorum, quæ inter homines conspicitur, obtineri posset breviori via, per diversitatem temperamentorum corporeorum, cum quibus unirentur animæ, frustra nea esset essentialis animarum diversitas. Sapien-

pientissimus autem Creator nihil facit frustra. Nec à posteriori ullum phænomenon adducī potest, ex quò probetur contrarium. Plura argumenta videri possunt in peculiari dissertatione de imaginariis animarum humanarum gradibus, quam in hac Academia eruditus Juvenis elaboravit. Jam vero posita æqualitate animarum naturali, nullū ex corporum quorundam præ aliis prærogativa duci potest argumentū inæqualitatis animarum moralis. Varietas enim corporum & ingeniorum ex intentione creatoris eo tantum tendit, ut societas humana materiam habeat sufficientem, ex qua possit varias in Republica personas facere: non autem ideo vult quemlibet statim in civitate esse id, quod potest esse. Thomasius tot facit species hominum, quot inclinationum, quas dividit secundum temperamenta. Quæ est mora Logomachia. Ludit enim tantum varia acceptione vocis speciei, ut patet legenti ejus fundamenta. J. N. L. I. C. I. §. 117. Concedi potest, varias esse ingeniorum humanorum, varias inclinationum species, secundum quas homines haud absurde queant dividi; sed hoc non impedit, quominus una sit species communis, atque eatenus in omnibus individuis par & æqualis,

lis, ratione scilicet essentiæ communis, quæ gradus nullos admittit. Hic sane lusus Thomasi facile potest abire in errorem modo refutatum, de inæqualitate hominum naturali.

§. XIX.

DE unione animæ & corporis multa subtiliter à Philosophis disputari possunt, quæ non quidem omnia sunt contemnenda, sed tamen extra Theses nostras fundamentales consistunt. Ad nostrum usum satis erit id novisse, quod ipso interno sensu citra omnem controversiam novimus, esse inter animam & corpus mutuam quandam dependentiam, sed limitatam, quemadmodum in aliis pactis ut plurimum fieri solet. Deinde danda est opera, quoties aliquod humanæ naturæ phænomenon est explicandum, ut ne confundantur proprietates unius alteriusve partis, sed semper accurate distinguantur. Alias facile in varios incidemus errores. Quorum sane capitalis est hodie Thomasi, habentis hominem tantum pro corpore, variis potentiis instructo. Vid. Fun. J. N. L. 1. C. 1. §. 5. Itemq; Leibnitii & Wolfii, habentium animam pro parte corporis elementari, nempe Principe & dominante. Ut autem

evi-

evitemus varias digladiationes de sede animæ, scire contenti simus, substantiam cerebri medularem esse immediatum & unicum mentis organon, quoties ideas format, vel intelligibilia rerum, vel sensibilia, item quoties ratiocinatur, & quoties se libere determinat, & denique dum videt, audit, gustat, odoratur, quinti autem sensus nempe tactus organum esse totum corpus, qua nervis instructum, cerebrum, terminum ad quem: omnium denique inclinationum patheticarum organon proprium esse cor, & hinc rursus terminum ad quem, ipsum cerebrum: inter quæ duo organa velocissima est ac pene momentanea communicatio, per nervulos interjectos. Quo vel uno argumento satis distingvuntur involuntariæ inclinationes a voluntate, quas cum confundat Thomasius, & cum eo omnes Hallenses, non mirum est, confusas eos fovere ideas voluntatis, & cor facere voluntatis synonymum æquipollens. Unde lites novæ & infinitæ, etiam in materia Theologica.

§. XX.

Duo ad finem addo, quæ superiori loco debuissent memorari, nempe inter Theoretici-

oreticas de anima, item de mundo Theses hæc stabilienda fuit: *Neque in anima, neque in tota natura dari modum naturaliter expiscandi futura contingentia.* Quam necessariam & fundamentalem veritatem hic demonstrare non vacat. Deinde in præmio etiam ostendendum fuit, non spernendas esse omnes speculationes veritatis, quæ sunt extra fundamenta jam exposita. Quædam enim majorem minoremve connexionem habent cum fundamentalibus Thesisibus, quædam aliis veritatibus, ad alios fines tendentibus, vel prope vel e longinquo inserviunt. Ausim vero dicere, nihil in tota Philosophia majoris esse ponderis, aut magis scitu, defensuque necessarium, quam veritates hujusmodi fundamentales; quibus ratio ita formatur, ut de rebus summis summique prætii rectè judicare, & sic adversus errores vitæ humanæ pestilentissimos usque quaque tutior esse possit.

§. XXI.

Postremo, non Theologiæ tantum, sed & omnibus Christianis liberalium artium studiosis etiam atque etiam svadeo, ut hoc periculosissimo animabus tempore, non his tantum philosophicis antidotis, sed vel imprimis

nis satis solide & feliciter vindicet, ad un-
 gvem perdiscerent: debebant ad hoc studium
 hoc tempore urgendum admirabili DEI be-
 neficio inflammari. Cui enim alii causæ,
 quam Divinæ providentiæ, paternæque bo-
 nitati hoc acceptum est referendum, quod
 cum nullo unquam tempore Christianismus
 plures habuerit Scripturæ Divinæ hostes, nul-
 lo etiam tempore, plures habuerit scripto-
 res, Divinam ejus auctoritatem summo in-
 genio, summo successu defendentes. Nemo
 nisi valde impius negaverit, sic Divina in-
 dustria provideri, ne ullum ex orco vene-
 num spargatur, cui non parata sit e
 cœlo medicina. Et nunc qui-
 dem nihil ultra.



